BIBLIOTEKA
Zakł. Nar. im. Ossolińskich
XVI 11.763
11.764

J 721/11

115

Ex Fundatione pie defuncti Cani
Leop. Kowicki

115

1

SANCTI IOANNIS CHRYSOSTOMI DE VIRGINITATE LIBER,

A IVLIO POGIANO CONVERSVS.

Nb 721.

Ex Libris Congr. Miss. Domus Brzozovic Nowicki

DILINGÆ,
In officina typographica
Sebaldi Mayer.

M. D. LXII.

BIBLIOTHECA SEMINARII CIT. LAT. LEOPOLIENSIS

1806

XVI. Qu. 1763

AD CLARISSIMVM PRINCIPEM OTHONEM Truchſes, de VValdburg, Auguſtanorum Vindelicorum Epiſcopum, S. R. E. Presbyterum Cardinalem ampliſſimum,

IVLIVS POGIANVS.



IRGINITATEM, Otho ampliſſime, ſi chriſtiana fide, & charitate fulta ſit, tanto ceteris arbitror excellere uirtutibus, quanto generi hominum antecedunt beatæ mentes: quarum præſtantiã mihi cõſecuti eſſe illi uideri ſolent, qui reſtincto naturalis ardore uoluptatis, eam caſtitatis laudem pie, ſancteque coluerunt. Quanquam haud ſcio an ſit hominibus ad dignitatẽ glorioſius repugnante natura innatam im-

mortalium uim assequi potuisse. Magnus locus, & christiani hominis proprius, nobilitatus ex illo fonte, & capite Christo; unde hæc in summum honorem adducta uirtus ad hominum imitationẽ latissime dimanauit. Is enim præter ortus, & uitæ suæ gloriam uirginitatis singularem, tantum præterea tribuit iis, qui castimonia floruerũt, ut, ad imaginem cælestium ministrorum, lectissimum ex uirginibus comitatũ sibi deligeret: in quibus Ioannem Zebedei filium unice dilexit. Etenim illi præstans diuinæ uirtutis habitus eam peperit & Iesũ Christi gratiã, & cælestis uim sapientiæ, quã deinceps admirata est omniũ memoria sæculorũ. Quæ cũ diuinis litteris cõsignata sint, cũ sanctissimorũ uirorum & illorũ temporũ partim æqualium, partim ab ea ætate recentiũ auctoritate comprobata: quid est, quòd tantis

pro-

propositis & præmiis, & adiumentis nõ conantur homines corporis incommodum animi cõtentione superare? Quod si usque eò tardi atque hebetes sumus, ut ne explorata quidẽ spe ampliſſimæ mercedis incitemur, quæ uirginali pietati reseruatur in cælum; at excitemur præsenti theologiæ fructu, quẽ illi inde capiunt uberrimũ, qui se puros integrosq; ad id ueritatis studiũ contulerunt, nam datur ipsis tanquam in manus pretium glorioſi laboris, quod indicium ac specimen quoddam sit reliquæ, ac speratæ beatitudinis. uiui enim & præsentes Deo fruuntur, quem quasi per transennam aspiciunt assidue, dum tota mente omniq; animo contueri liceat. Est ergo ulla species delectationis tãti, falsa præsertim, ut & huius exiguæ, & illius perpetuæ uitæ solidam expressamq; uoluptatẽ amittamus? Sed fit nescio quo mo

 do,

do, ut maximam partem in uitiorũ luto demersi defixiq; simus sic, ut nihil altũ, nihil magnificum neqùe mente suspicere, neq; actione suscipere possimus. Vt enim nocturnæ aues, si in solem inciderint, insolentia diurni luminis obcæcantur: sic nos flagitiorum quibusdam assueti tenebris, in rebus illustribus nihil uidemus. quin etiam, si dexteræ cælestis adminiculo nonnunquam excitati subleuemur, tamen mala consuetudine deprauati & oculos, & mentem idẽtidem reuocamus ad turpitudinẽ, ut, quæ nobis diuino munere lux ueritatis oblata fuerat, ea rursus uitæ sordibus obruatur. Perdita nequitia multorum, sed intolerabilis arrogantia, qui se in officina obscœnitatis diuinæ sapientiæ magistros profiteri audeant. Hinc falsi theologi, hinc pestiferi salutariũ rerũ interpretes, qui in illa cæcitate libidinis, litteris lucẽ, audi-

auditoribus animi, atque ingenii lumen eripiunt. nam puriſſimos fontes ſic inceſto ore corrumpunt, ut, quidquid per eos hauſeris, totum id turbidū inquinatumque ſit. Pium, humilem, innocentē hominem, in primisq; purum & caſtum quærunt diuinæ litteræ; impium, ſuperbum, facinoroſum, maxime uero impurum, & impudicum à ſua cognitione, ac ſcientia repellunt. Non longe abieris. Ioannes ille Chriſti diſcipulus, idē euangelii ſcriptor, idem uates, non ne harum uirtutum, atque adeo huius excellentiſſimæ uirtutis, uirginitatis gradibus aſcēdens, uel potius euolans in altiſſimū cæli locum incomprehenſam, & inexplicabilem Dei naturam & animo comprehendit, & oratione explicauit? Quid? Paulus alter plane Ioānes: (ut hoc oratio mea definiatur exemplo, quod propoſitam rationem attingit) is igitur,

cum

cum se totũ ad eam conuertisset curam, ut Christi mores exprimeret imitando, non ne tantum illa tum uoluntate, tum imitatione est consecutus, ut, cuius uitã studeret effingere, eius mentẽ assequeretur non modo cogitatione, sed etiam facultate? Quod cum ipsius omnes declarant epistolæ, tum sapientissima fidelissimi consilii de uirginitate exposita ratio maxime testatur. Tanta est enim huic consilio similitudo cum iis, quæ apud Matthæũ de uirginali uirtute disputantur, tanta uerborum, sententiarum, ordinis conuenientia, ut ea Christum Pauli ore dissertuisse, nemo nisi turpiter ignorare, aut impie negare posse uideatur. Eadem est utrobiq; diuinæ rationis index indulgẽtia, & eam habet uim utriusque oratio, ut in summa rei difficultate propter infixũ naturæ coniunctionis appetitum nullam iam hominibus

necessi-

neceſſitatem uirginitatis imponat; ueruntamen uirginum officio celebrando & illuſtrando, quibus tanquam iure hoſpitii deprecantibus ſæpe Deus non ſingulorum modo hominum, ſed ciuitatũ, ac prouinciarum ſcelera, ſuppliciaq́ue condonet, omnes ad huius amorem ſtudiumq́; uirtutis adhortetur. Sed profecto ſe, altus animus Dei ſpe fiduciaq́ue munitus à cupiditatum illecebris inuictum facile præſtat. Quare ad eam laudem omnis generis erecti multi mortales, & naturalem domuerũt libidinem, & cæleſtium uitæ ſimillimam in terris uitam egerunt. Plenum eſt cælum noſtrorum hominum, quorũ propter eximia ueræ caſtitatis ornamenta & conſecratas ueneramur imagines, & ampliſſimis honorib⁹ anniuerſaria ſacra cõficimus. Sapientes uero, & beatos illos, qui humana ſpecie & figura diuinam, &

plane cæleſtem uim conſecuti ſunt. inſanos & miſeros reliquos, qui cũ dignitate ad beatas mentes proxime accederent, ſe in impuram belluarũ intemperantiam abiecerunt. Quorũ alii palam uirginitate ſimulãda, cõiugio acerrime uituperando, clam, ut moribus etiam oratio refellatur, in omni flagitiorum genere uolutati ſunt. alij corporis uoluptatibus dediti, præceptoresq; libidinũ, fædiſsimam uitæ turpitudinem cumulauerũt ſcelere orationis. Ex quibus partim caſtitatem ab hominum arbitrio, & libera uoluntate remouentes, præcipuo quodam Dei munere nonnullis inſitam & ingenitam uolunt. partim quaſi naturæ neceſsitatem uſum amplexãtes actuentes libidinis, uirginitatẽ reiiciunt; & tanquã triſtitiã ac uitæ peſtem deteſtantur. Contra quos omnes, qui unquam in hãc tranquillitatis, & innocẽtiæ parẽtẽ,

atque

atq; adeo in Iesu Christi sponsam, & comitem nefarie inuecti sunt, patrocinium cæleſtis cauſæ diuinitus à plurimis ſuſceptum eſt. Extiterunt enim & illis ipſis temporibus, quibus hæc oppugnari cæpta ſunt, neque poſtea defuerunt, qui cũ debitum nuptiis legitimis gradũ honoremque tuerentur, tum admirabili uitæ integritate, ſcientiaq; diuinarũ litterarum uirginitatis & maximam, iuuante Deo, facultatem probarent, & amplitudinem præſtantiamq; defenderẽt. quare monimentis compluribus & Græcis & Latinis celebrata res eſt; quibus ſummi homines Iesu Christi mentem, Pauliq; cum illo cõiunctam ſententiam explicauerunt vberius: & ad virginalem palmam vehementius ſunt cohortati. Atque vt omittam de alijs; ea de re ad intelligentium prudens ſubtileq; iudiciũ eleganter, ne dum abũdanter, & ad po-

 pularem

pularem ſenſum accommodate diſſeruit hoc libro ſui ſimillimus Ioānes Chryſoſtomus. de quo minus mihi multa dicēda duxi, quòd is bene de Eccleſię Dei nomine ac dignitate meritus, & chriſtianā diſciplinā in primis illuſtrauit, & ex aureo quodā eloquētiæ flumine nomen inuenit, &, quod caput eſt, eā uitā uixit, ut in sāctorū numerum ſit relatus, Deo hominibusq; approbātibus. Vtinā modo liber nō intercidiſſet; ſed ex quo primum eſt editus, deinceps verſatus inter hominum manus ad noſtram peruenisſet memoriam; multorum enim cōpreſſis uoluptatibus, mirabiles virginitatis amores excitaſſet. Quare dolēdum eſt in tanta iactura ſuperiorum temporum; nobis uero ſummopere lætandum diuino hoc & immortali beneficio. Quod quoniā munus ampliſsimum habemus à Marcello, eius nominis II. Pont. Max.

cum

cum ceterarum illius uirtutũ, quę Reip. fructuoſę fuerunt, tum huius beneficentiæ laudem, qua facile excelluit, & memoria, & uocis teſtimonio conſeruare debemus. Nam ille quòd acceperat à Gulielmo Sirleto Chryſoſtomũ de uirginitate ſcripſiſſe librũ, quo libro Chryſoſtomus ipſe in illa nobili explanatione Pauli epiſtolæ ad Corinthios eum locũ, quantum in ſe fuit, perpurgatum teſtaretur, egit cum homine, ut id monimẽtum, ſicũde poſſet, erueret. Quare Sirletus, is uir, cuius multiplicem exquiſitamq́; doctrinam admiramur ſingulari probitati ac beneficæ uoluntati parem, undique conquiſitum, & aliquando Florẽtia, Venetijſq́; accerſitum opus Marcello curauit. Quid multa? conſiderauit ille rem: uidit quantum eſſet in ea chriſtianæ perfectionis inſtrumentum: ſtatim cum omnibus cõmunicandam putauit.

BIBL. ZN. IM. OSSOLIŃSKICH

tauit. atque vt bonum id latius pateret, ad pluresq́; pertineret, latinum Chryſoſtomum fieri iuſsit. Quod quando mihi negotium datum eſt, ut librum conuerterem, mea quidē ingreſsio fuit eiuſmodi, vt me ſatisfacere poſſe huic muneri magis optarem, quàm vllo modo ſperarem. Nam, cum duplex mihi interpretandi ratio, eaq́; inter ſe contraria proponeretur, cumq́; hac ętate neutri uiderem contigiſſe vt omnem haberet laudem: illud etiam intelligebam, utrumcunque, præſertim in hoc ſcribendi genere parum exercitatus, inſtitutū tenuiſſem, fore, vt propoſitum meum in alteram reprehenſionem incurreret. Sunt enim qui ſimplici veritatis ratione contenti eam interpretationem poſtulent, qua verbum è verbo exprimatur, omni præterea ornamento, omni latinæ linguæ cōcinnitate in græco ſcriptore abhorreant.

horreant. Illos hoc; alios longe diuersa delectant. Res enim modo, sententiaq; permaneat, ad rationem moremq; Romani sermonis eius explicationem dirigi uolunt; & tanquam græcum hominẽ in nostram ciuitatem adscitum, nostrũ etiam uestitum, & ornatum imitari debere contendunt. Præclara sane ratio; & quam, licet difficillimam ad assequendum, in Demosthene tamẽ, aut Æschine, quorum ars nititur eloquentia, libenter essem secutus; in Chrysostomo, qui salutis præcepta tradit, quæ rerum pondere, non verborum splendore definiuntur, periculosam & lubricam existimaui. Illam uero alteram ad verbum conuertendi uiam eatenus sum persecutus, quoad latini sermonis consuetudo ferre uidebatur. nam omnino, cum ineptum negotium, tum in iuuncdũ putaui. Ac medium quoddã meum

consilium

cõsilium fuit, ut ea, quorum Chrysosto
mus esset auctor, ijs dumtaxat exceptis
vocabulis, quæ nostræ sunt propria reli-
gionis, si modo fui tãti, operam darem,
uti latine redderem. Quę uero ex vete-
ri, & vtique ex nouo testamento protu-
lisset, in illis fidem eius sequerer, quẽ tot
annos sanctissima parens probauit Ec-
clesia. Hęc mea ratio est. in qua mihi nõ
sumo, ut omnem offensionem effuge-
rim. Cuius enim impudentiæ est, id de
se polliceri? Illud affirmo tãtum spectas-
se me, ut aliquid Christianis hominibus,
qui græce nescirent, vtilitatis afferrem;
nullam præterea hac in re laudem quæ-
rere, aut etiam uituperationẽ recusare.
Nunc si sit optandi locus, uellem Mar-
cellus Pontifex, hunç, quicunque est, la-
boris mei ex suo munere fructum cape-
re potuisset, ut, cum ad eum, qui & præ-
clarum opus in commune contulerat,
& mihi

& mihi conuertendum dederat, & erat ipse exemplum continentię, de uirginitate librum misissem, propter illam tum personæ opportunitatẽ, tum gratã animi mei significationẽ, æquioribus uterer ijs, qui in Chrysostomo uertẽdo maius ingenium, acrius etiam iudicium requirent. Accedit eò perspecta semper quidem omnibus eximia viri volũtas in studia virtutis, & artiũ optimarũ; mihi uero in sũmo eius honore multo perspectissima. Nã cũ in maximo primi illius, uel potius ultimi temporis rerum hominumq; concursu Pontificem Maximũ salutatum uenissem, memini, cũ me de Chrysostomo esset hortatus, ut laborẽ susciperem, gratulari bonis ac studiosis, quibus tantum accessisse diceret ad prę-sidium & ornamentum, quãtum sibi ad honorem, & ad promerendi potestatẽ esset adiunctũ; vt omnis propterea mea

de virtute cogitatio posita prope in cõ-
spectu meo Marcelli imagine, tantę be-
nignitatis gratiam à me flagitare uidea-
tur. Quibus & communibus, & priuatis
de causis, hærebit perpetuo quidem in
mente & oratione mea memoria diuini
hominis; sed tamen hoc eius beneficio,
quando inest in eo aliqua remunerandi
vis, ad referendam illam, quàm ad ine-
undam aliam gratiã vti maluissem. Quę
quoniam Dei iudicio sublata facultas fu-
it, proximũ erat in Chrysostomo per-
uulgando & rei dignitatis, & quodam-
modo Marcelli uolũtatis habere ratio-
nem. Nec vero difficilis fuit ea delibe-
ratio. nam mihi de virginali laude cogi-
tanti versabatur ante oculos, uel potius
feriebat oculos Reginaldus Polus Car-
dinalis, quòd & reliquarum virtutũ spe-
cimen, & illustre exemplum castitatis
habuit hæc ætas. Illud ego excellens il-
lius

lius animi & corporis bonum in ſumma ceterorum excellentia bonorum cũ ex cõſtanti hominũ fama atq; ſermone, tũ ex ipſius ore Marcelli ſic admirabar, vt me & illi, cuius mihi viuit auctoritas, & cauſæ officioq́; meo defuturum intelligerem, niſi, quod Marcello debebam, Polo potiſsimum redderem. Quanquã Chryſoſtomi viri ſanctiſsimi gratiã mihi per hanc cauſam facile conciliari putabam poſſe. Ad quem enim is, aut omnino per quem ſua hęc ad alios peruenire mallet, quàm per eum, in quo expreſſam videret effigiem animi, ingenij, tẽporum ſuorum? qui eiſdẽ itineribus cõtẽdebat in cælũ? qui virtutis doctrinæq́; ſtudia ætati ſuæ fere æqualia ita cõiũxerat, vt ei probitas & innocẽtia prudẽtiæ ac ſapientiæ quaſi fores aperuiſſet, ſcientia præſtãtiſsimarũ artiũ virtutẽ cõfirmaſſet, vtraq; ſic adiũxiſſet Deũ, vt per

ipſum ſuorum operum opus omniũ maximũ maximeq́; admirabile effecerit? Ille enim chriſtianã veritatẽ iam diu in Anglia extinctã excitarat. ille memoriam pietatis intermortuam reuocarat. illius ſacrorũ, illius ciuilis, illius erat omnium domeſtica diſciplina. Quæ quanquam eius aduẽtu, planeq́; aſpectu tanq̃; cæleſtis alicuius hominis preſentia reuixerant; tamen is niſi perfecta re non cõ quieſcebat; ſed mirificam cognitionem, uſumq́; diuinarum & humanarum rerũ ad eam referebat cogitationẽ, quo modo nationi ſuæ dignitas ſalusq́; pareretur. Quare hic opportunius illi ueniebat adiutor, quo benefactorum beneq́; dictorum nobiliſsimo doctore legendo et audiendo præceptis Anglia ſalutaribus inſtitueretur. Sed mecum hic etiam nõ ſolũ cum Anglis actũ eſt incõmodius. nam dum ſuſtineo me, ueritus ne parum

periti

periti interpretis sermone non delectetur vir tũ græce, tum latine doctissimus moritur interea Polus; vt iã quasi quodã omine à proferendo libro deterreri viderer. Quem in perpetuum facile compressissem. sed institerũt aliquando poscere libri editionem ij, quibus negare non potui, præsertim cum me publici Christianæ Ecclesię cõcilij opportunitate, cum hac commoditate, ac nobilitate Romanæ librorum impressionis vrgerent; cum denique admirabili, salutariq; exemplo diuinitus hoc incumbẽte Pio Pontifice Maximo ad restituẽdam ueterem Ecclesiæ disciplinam, simul & ad certissima disciplinæ subsidia excitãda ac peruulgãda litterarum, ac studiorum commoda, religioni habendum dicerent virginitatis patronum non opponere petulantiæ plurimorum. Cessi igitur, sed ita, si, instituerã, rei grauitati cõ-

 sulerem,

sulerem, leuemq; operam meam aliena auctoritate roborarẽ. Ergo mihi vtrũq; suppeditat ex te Otho ornatissime, qui si, quæ video, tantum in te esse audirem, mouerer fama laudum tuarum. Nunc, quę tua est liberalitas, viuo apud te, et sę-pe intersum sermonibus & actionibus tuis, vt tibi viuenti constantem istam & probatã vitam, & sacris diuinisq; rebus mirifice dedito Chrysostomi librum de virginitate debere nõ possim. Quod itẽ ãme tuum postulat flagrans, atq; perpe-tuum studium tuẽdæ propagandæq; re-ligionis: quò cum & curas, & facultates cõferas tuas, præclare hoc eius & animi simulacrum, & monimentum ingenij, tibi, qui Chrysostomum imitari studes ducem cõmunis officij, conuenire sum arbitratus. & vero gratius erit etiam illorum nomine, quibus desponderam, quorum alter bonus Pontifex, alter Põ-

tificatu

tificatu dignus, uterq; & tui amantiſsimus, & à te cultus diligẽtiſsime ſibi à me receptum, tibi perſolutũ officiũ probabit. Itaq; habebis aḃ illis me interprete librum iſta perſona, ſtudijs, moribus dignũ: habebit uero à te Germania tua, cui nõ ceſſas quotidie aliquod offerre ſalutis inſtrumentũ, quid chriſtianæ ſapientiæ doctor egregius contra nouos libidinis miniſtros, ac perditæ opinionis auctores de caſtitate ſenſerit. cuius vt nec explicandæ ſententiæ cõmodior ſcriptor optari poſsit, quàm Chryſoſtomus, nec diuulgandæ magis idoneum tempus, q̃ hoc, ſic uelim meæ partes ne deſideren tur. Quòd ſi quid de operis põdere mea infirmitate detractum eſt, tamen aliquã mihi excuſationis veniã datũ iri ſpero, quòd in hoc interpretãdo diuini Spirit⁹ interprete, facultatem fortaſſe pio conatu, atque egregia voluntate compẽſem.

LE-

LECTORI.

CVM hunc Chryſoſtomi librum ita ſcriptũ reperiſſem, vt in quattuor & octoginta capita diuiſus, initio ſingulorum capitum ſeparatim deſcriptam haberet cuiuſq; loci ſententiam; tametſi librarij temeritate, quæ plerunque inſcitiæ ſocia eſt, interciſum credidi, non ſcriptoris conſilio diſtributum, quem perpetuũ operis argumentum continenti oratione explicaſſe puto; tamen, vt liberum cuiuſq; iudicium relinquerem, ſummas modo rerum in capitum interuallis inepte, vt mihi quidem videbatur, & ad curſum rationis lectioniſq; moleſte poſitas, tranſtuli in commodiorem locum; diſtinctionem non omnino ſuſtuli. nam & ſeruaui numerum, & primum quenq; diuiſionis uerſum prima eius grandiori littera notandum curaui. Quòd ſi quid operę nauaui, quòd de eo legentes admonuerim, gaudeo; ſin minus, ijdem illi, quibus per me utrumuis ſentire integrum erit, mihi uiciſſim æqui eſſe debebunt, ſi, cum ipſis fidem præſtitiſſem, meam quoq; de re ſententiam notam eſſe volui.

SANCTI IOANNIS CHRYSOSTOMI ARCHIEPISCOPI CONSTANTINOPOLITANORVM,

DE VIRGINITATE.

I.



IVDÆI virginitatis laudem aſpernantur: neque mirum, quando etiam ipſum, natũ ex virgine, Chriſtũ ignominijs affecerunt. cõtra vero gentes admiratione virginitatis obſtupeſcunt: quam tamen ſola colit Eccleſia Dei. nam hæreticorum virgines ego virgines eſſe minime dixerim: primum, quòd illæ caſtæ non ſunt; neq; enim ex ſanctiſsimi illius viri ſententia, qui virginem Chriſto conciliat, deſponſæ ſunt vni viro: Deſpondi enim, inquit 2. Cor. 11.

is, vos vni viro virginem castam exhibere Christo. quod etiam si de vniuersa Ecclesia dictum est, tamen illas etiam hæc complectitur oratio. Quo modo igitur, quæ vno viro non contentæ, alterum, qui non est, Deum introducunt, castæ esse poterunt? Quare primum ex ijs, quæ diximus, deinde, quòd contumelioſæ in nuptias in eum locum processerunt, vt connubijs abstineant, virgines esse nō possunt. quòd enim lege sanxerunt, malum esse coniugium, ea anticipatione sibi præmia virginitatis ademerunt. non enim, qui vitia cauent, corona donandi sunt; sed eos à pœna tantummodo vacuos esse decet. & quidem videre licet, non solum id nostris esse, sed externis etiam legibus constitutum: inquit enim lex, homicida morte multator: at non præterea adijcit, Qui hominem non occiderit,

II. *Virginitatem hæreticorum mercedem non habere.*

ciderit, honore afficitor. item, Furplectitor: at non eum etiam, qui neminem vlla re læserit, præmium capere iussit. ac leges ipsæ adulterum occidentes, eum, qui coniugium non violat alienum, nullo dignandum honore cẽsuerunt: & iure id quidem optimo: laudem enim & admirationem habere, recte facientium est, non eorum, qui vitia declinauerunt. nam præclare cum illis agitur, si nulla ad eos pœna peruenerit. itaque Dominus noster, si qui temere, ac sine causa fratri iratus fuerit, vel eundem stultum appellauerit, ei geennam est cõminatus, non etiam ijs, qui neque fratri sine causa succẽsuerint, neque in eum maledicta contulerint, regnum cęleste promisit; sed plus eo quiddam maiusque requisiuit, dum inquit, Diligite inimicos vestros. cũque vellet ostendere, parum admodum *Matth. 5.*

esse, & vile, & plane nullo dignum pretio, fratres non odisse, multo maius illud adiunxit, vt eos ipsos beneuolẽtia, & amore complectamur. ac ne id quidẽ satis esse nobis inquit, vt honorem aliquã consequamur. nam qui id fieri possit, si amplius ea in re, quàm ethnici, nihil asse quimur? quare longe maiores accessiones faciamus, oportet, si quidem mercedem exigere voluerimus. Neque enim, quia te, inquit, ad geennam nõ damno, quòd in fratrẽ maledictis abstineas, nec in eum sis offensior, propterea tute corona donãdus tibi esse videare. tantum enim abest, vt abs te isto comitatis modo contentus sim, vt, etiam si te non solum non ei conuicium facere, verum eundem amare dixeris, tamen adhuc & circum terram voluteris, & in publicanorum numerum ascribaris. Quòd si perfectus, ac cælo dignus esse vis; istic

modo

modò ne conſtiteris, ſed altius aſcendito, & eam, quę ſupra naturam ipſam eſt, cogitationem ſuſcipito, vt inimicos beneuolentia proſequare. Cum igitur vndiq; hoc nobis conſtet, deſiſtant hæretici fruſtra ſe ipſos affligere. nullã enim afflictationis ſuæ mercedẽ accipient; non quia ſit iniuſtus Dominus; (nefas enim id dictu eſt) ſed quòd iniqui ipſi, ac ſceleſti. quid ita? quia demonſtratũ eſt, nullum ijs, qui vitia tantũmodo deuitarunt, præmium eſſe propoſitum; ipſi autem matrimonium malum ſtatuẽtes, eo abſtinuerũt; quo modo ergo, quòd à malo abfuerint, mercedem illis poſcere licebit? vt enim nos, quòd non ſumus adulterati, digni non erimus, qui corona donemur: ita ne illi quidem, quòd à cõiugio abhorruerunt. nam ſic cum ipſis aget ſummo illo die is, qui iudiciũ inter nos exercebit. Non equidem illis præ-

mia constitui, qui tantum à culpa sunt alieni; (parui id quidem duco) sed, qui virtutes omnes complexi fuerint, hos in cæleste domicilium introducam, vbi beati hæreditate sempiterna fruantur. Quid igitur est, quamobrem, cum statueritis matrimonium cum obscænitate, & scelere esse coniunctum, & eo propterea abstinueritis, præmia, quæ recte facientibus debentur, vobis ob delictorum fugam dari postuletis? non enim, si agnos à dextra collocat, & eosdem collaudatos in cælestem regiam introducit, id eo facit, quòd aliena non diripuerint, sed quòd alijs sua
Matth. 25. dispertiuerint. neque, si is, cui quinque talenta credita sunt, Domino probatus est; tam id factum est, quòd de commissa sibi pecunia quidquam non deminuerit; quàm quòd eam auxerit, ac duplicatum depositum Domino reddiderit.

rit. Quousque igitur progrediemini, inani vos cursu exercentes? quàm diu laborem irritum suscipietis? quem ad finem, aera verberãtes, frustra pugnabitis? atq; vtinam solum id frustra fit. nam haud parua pœna illa fuerit, pro multis laboribus, proque spe præmiorum, maiori certe, quàm laborum ratio postulet, quo die honorem vobis habitum iri speratis, in eorum poni numero, qui ignominia notabuntur. Nec vero hic illis erit malorum modus: neq; solum id detrimenti facient vt nihil lucrentur; sed alia multo his grauiora mala subibunt: æterno enim igne comburentur, vermi corrodentur immortali, tenebris exterioribus obruentur, angoribus, atq; angustijs cruciabuntur. Quamobrem innumerabilia nos ora habere, & angelica ui præditos esse oporteat, vt Deo pro eius cura de nobis satis digne

III. *Hæreticos virginitatis pœnas pẽdere.*

Matth. 22.

gratias

gratias agere posſimus: vel potius ne sic quidem cõparati id assequi queamus: quî enim id fieri posſit? nam cũ pari nos cum hæreticis labore (nisi fortasse longe illi maiorem inde suscipiunt molestiam) colenda virginitate exerceamur; haudquaquã pares laborum fructus vtrique percipimus. illos enim & vincula, & lacrymæ, & gemitus, & æterni cruciatus consequentur: nos contra, cõsortes erimus angelorum, vbi fulgentes lampades collucebũt; &, quod caput est bonorum omnium, spõsi consuetudine fruemur. Sed quamobrem ijsdem laboribus contraria præmia tribuũtur? quòd illi, diuinę legi vti legem ferrent aduersariam, virginitati se dediderunt; nos, vt Domini voluntati pareamus, eadem efficimus. Deum autẽ velle, vt omnes cõiugio abstineant, testis est is, qui Christũ seloquẽtem habuit: Volo enim, inquit,

1. Cor. 7.

omnes

oēs homines esse, sicut ego sum. Quòd vero nobis parceret Saluator noster, quòdq; sciret spiritum quidē esse promptum, carnem autem infirmā, minime id necessario iusso seruandum constituit, sed animis nostris solutam esse voluit eligendi optionem. nam si prescriptum esset, & lex, nūquam ijs, qui id perfecissent, is honor habitus esset, sed illud responsum à Domino tulissent, Feciſtis quod facere debuistis: neq; ijs, qui rem non assecuti fuissent, esset ignotum; sed ijs, qui leges negligunt, cōstitutā pœnā sustinerent. nunc vero cū illud dixerit, Qui potest capere, capiat; nō eos condē nauit, qui minus id assequi possunt; sed illis, qui rei facultatem habent, multum, atq; adeo maximū certamen proposuit; ob eamq; causam Paul', magistri sui vestigia persequens, præceptum Domini se non habere dicit, sed dare consilium.

IIII. *Deſtationem coniugij ſatanicæ immanitatis eſſe.*

At vero neque Marcio, neque Valentinus, neq; Manes eam moderationem tenuerunt: neque enim Chriſtum in ſe loquentem habuerunt, qui ſuis ouibus parcit, pro quibus etiam vitam poſuit, ſed homicidam illum mendacij parentem. quamobrem eos omnes, quicunq; fuerunt dicto audientes, iidem illi perdiderũt. nam ipſos in ignem ſibi paratum ad inferos traxerunt ſecum, quos inanibus in vita, & intolerabilibus laboribus exercuerant. O miſerrimã veſtrã conditionem, atque etiam gentium ſtatu miſeriorem. nam, etſi grauia apud inferos geennæ manent ſupplicia, tamen certe, dum viuunt, coniugij, & pecunię, ceterarumq; rerum, quæ in vita iucunditatem habent, voluptatem percipiũt: vos vero tormẽtis, & cruciatibus vtrobiq; affecti, & præſentes voluntarij, & mortui inuiti ſempiternam pœnam ſuſtinetis.

V. *Hæreticos, quod ad cultũ uirginitatis attinet, gentibus etiã miſeriores eſſe.*

ſtinetis. ac gẽtibus quidem pro ieiunio, & virginitate neque mercedem dederit quiſquam, neq; eiſdem cõſtituetur ſupplicium: vos autem, pro quibus celebratum iri ſperauiſtis innumerabilibus laudibus, pro eiſdem extremas pœnas perſoluetis; idq; cum alijs reſpõſum feretis à Domino, Quòd ieiunium virginitatẽq; ſeruaſtis, diſcedite à me in ignẽ paratũ diabolo, & angelis eius: nam neq; ieiuniũ, neq; virginitas per ſe bona, vel mala ſunt, ſed eorũ propoſito, qui illa colunt, ita vel bona, vel mala fiunt. neque vero ea virtus gẽtibus fructuoſa eſt: receperũt enim mercedẽ ſuã, quia hãc ipſam virtutẽ metu Dei non coluerunt. at vos tum propter bellũ, quod cum Deo geritis, tũ propter crimẽ, quod eius operibus affertis, nõ modo mercedẽ veſtrã recepiſtis, ſed prẽterea pœnas dabitis: nam pro decretis veſtris ducemini in gentiũ *Matth. 25.*

loco atq; numero: quandoquidē æque, atq; ipſæ gentes, vero, & vnico Deo reiecto, multitudinem Deorum introduxiſtis. pro vitæ autem inſtituto melius cum illis, quàm vobiſcum, agetur. nam eatenus illæ damnum faciēt, vt nihil boni adipiſcantur: vobis præterea fiet acceſsio malorum. adde, quòd illis ipſis in vita voluptatibus omnibus frui licuit: vos omnibus vtrobiq; caretis. Num ergo pœna grauior eſſe poteſt vlla, quàm, pro mercede laboris, & ſudoris, perferre ſupplicia? Adulter, auarus, is, qui in alienis rebus luxurioſus fuit, direptor deniq; proximorum, omnes certe ſolatij aliquid habent, breue illud quidem, ſed tamen aliquid, quòd eorum cauſa plectuntur, quibus hic delicate, molliterq; vixerunt. At qui paupertatem perfert volūtariam, vt, cum è vita migrarit, locupletetur, qui virginitatis labores ſpōte ſuſci-

te ſuſcipit, vt illic exultet cũ angelis; is, ſi repente, ac præter omnem expectationem hiſce de rebus plectatur, quarũ ſe innumerabilia pręmia conſecuturum ſperauit; non dici queat, quantum capiat doloris, vbi illa, cõtra quàm omnino ſperauerat, mala ſubierit. ego enim ipſum conſcientia æque atq; flamma cruciatum iri exiſtimo, cum eiuſdem conſortes laboris apud Chriſtum cõmorari videbit, &, ob quę infinitis illi fruẽtur bonis, ob ea ſe extrema ſupplicia ſuſtinere, in illaq; virginitate grauiora ferre mala, quàm luxurioſi, nequiſsimiq; homines patiãtur. Etenim hęreticorũ continentia omni eſt libidine flagitioſior. illa enim hominũ modo offenſionib. terminatur: at iſta cum Deo pugnat, et in eius infinitam ſapientiam iacit cõtumeliam. diabolus autem ſuis cultoribus eiuſmodi tẽdit inſidias: eius enim fraude virgini-

VI. *Virginitatem hæreticorum adulterio etiam fœdiorem eſſe.*

tatem hæreticorum ſubtiliter inuentam eſſe, non ego mea, ſed is, qui diaboli conſilia non ignorat, ſua oratione teſtatum
1. Timoth. 4. reliquit. quid igitur inquit ille? Spiritus manifeſte dicit, quòd in nouiſsimis temporibus diſcedent quidam à fide, attendentes ſpiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum, in hypocriſi loquentium mendacium, & cauteriatam habentium ſuam conſcientiam, prohibentium nubere, abſtinere à cibis, quos Deus creauit ad percipiendum. Quo modo igitur virgo ſit, quę diſceſsit à fide? quæ planos audiuit? quæ dæmonibus obtemperauit? quæ mendacium coluit? quo pacto illa virgo, quæ tantas conſcientiæ labes habet in anima? virginis enim nõ ſolum corpus caſtum, ſed puram, atq; integrã animã eſſe oportet; ſiquidẽ curat ſpõſum illum ſanctitate inſignẽ excipere. quòd ſi ipſa ijs maculis notatiſsima fuerit, quonam

nam modo pura esse poterit? si enim eã terrenas etiã curas ab eiusmodi cubiculo abijcere oportet, vtpote quæ sponsi dignitati cũ illis congruere nequeat; quo modo, cogitationib. impijs eius animo obuersantib. virginitatis decus conseruare poterit? nam etsi corpus ipsius incorruptum est, animæ tamen, quæ pars est potior, sunt corrupta consilia. quænam igitur ista cõmoditas disiecto templo, quæ templũ cingũt, porticus, & sepia permanere? aut quid est in eo emolumenti, cũ purus sit solij locus, ipsum esse solium sordibus inquinatum? quãquam ne sic quidem à sordibus libera est. execrationes enim, & maledicta intus quidem formantur, neq; tamen intus consistunt, sed ore prolata, & linguam, & aures, quæ ad ea patent, coinquinãt, ac, veluti venena pestifera, in ipsam animã infusa, radices eius corrodunt, quauis ti-

VII. *Hæreticos colẽda virginitate non animam modo, sed etiam corpus inquinare.*

nea

nea grauius; vt cũ ipsis radicibus reliquũ corpus intereat. Atqui, si corporis, & spiritus sanctitas definitio virginitatis est; qui fieri potest, vt ea virgo sit, quæ sceleribus, ac flagitijs vtrunque cõtaminauit? At ista mihi & oris pallorem, & membrorum gracilitatem, & simplicẽ stolæ cultum, & aspectum humilem, ac verecundum ostentat. sed quanti id refert, si elatus, & inuerecundus est oculus animæ? quid enim eius aspectu petulantius esse potest, quæ specie, & ostẽtatione adducit homines in eam sententiam, vt Dei opera habeant in numero malarum rerum? Omnis gloria filiæ Regis ab intus: at ipsa peruerso ordine orationis extrinsecus gloria circũfluens, omnem intrinsecus habet infamiam. Illud uero graue est, quòd maximam hominibus præsefert modestiã, in Deum vero creatorem suum summã adhibet insa

Psal. 44.

niam;

niam; quodq; adduci non potest, vt virum aspiciat, (si modo vllę in ipsis sic affectæ virgines reperiuntur) in Dominũ vero hominum impudẽtibus oculis intuetur, & iactat voces in sublime nefarias: exangue buxi instar ipsis os est, mortuiq; simillimum: at propter eam causam multis lacrymis, maximisq; miserationibus dignæ sunt, quòd non modo frustra, sed ad perniciem, & quę in eorũ caput redundant, tantum ærumnarum susceperunt. Vilis quidem stola est; at non vestitu, neq; eius colore, sed corpore, & anima virginitas definitur. nam si neque philosophũ coma, baculo, aut tunica, sed moribus, & anima metiri solemus; neq; militem ex chlamyde, aut ex baltheo, sed ex robore, & virtute spectamus; nonne illud perabsurdũ sit, virginem, rem adeo mirabilem, ac de humanis rebus longe pręstantissimã, squa-

VIII. *Virginem non vestitu, sed anima æstimari oportere.*

lore capilli, oris mærore, & pulla veſte definire, ipſiusq; vim, ac virtutem ita negligẽter, temereq; interpretari, neq; eius animã quaſi denudatam inſpicere, atq; habitũ, & mores ſubtiliter inde pernoſcere? At nõ id permittit is, qui luctationem iſtam lege conſtituit: neq; enim veſtibus eos, qui in hoc certamen deſcẽderent, ſed præceptis, & anima probare
1. Cor. 8. ſe iubet; inquit enim, Qui in agone contẽdit, ab omnibus ſe abſtinet, nempe ab iis, quibus animæ ſanitas perturbatur:
2. Timoth. 2. &, Non coronabitur, niſi qui legitime certauerit. quænam ergo huiuſce luctationis leges cõſtitutæ ſunt? audi iterum Paulum, vel potius in eo loquentẽ Chriſtum, certaminis auctorem, vt virgo ſit
1. Cor. 7. ſancta & corpore, & ſpiritu; atque idem honorabile connubium, & thorus immaculatus. Quid ad me hoc, illa inquit, quæ multam coniugio ſalutẽ dixi? iſtud enim

IX. *Virgini detrimentũ afferre elationem animi in eos, qui matrimonio iuncti ſunt.*

enim misera, istud ipsum te perdidit, quæ, tanquã ad te nihil id decretũ pertineret, rẽ propterea incredibili irrisione excipiens, cum in Dei sapientiã inuecta es, tum creatas res omnes accusasti. si enim coniugium impurum est; animãtes omnes, quæcunq; ex eo creatæ sunt, eadem impuritate continentur; ita vos etiam: non enim dixerim hominũ naturam; quo modo igitur illa virgo sit, quã impuram esse constat? Hæc enim altera, vel tertia potius est fœditatis, & impuritatis à vobis excogitata ratio, quæ cõnubiũ veluti turpitudinẽ quãdam fugientes, ista ipsa fuga nuptiarũ omnium purissimę factę virginitatẽ excogitastis adulterio fœdiorem. In quorũ igitur numero vos reponemus? Iudæorum ne? at vos illi non recipient; quippe qui coniugiũ colũt, & diuinũ opus admirãtur. an *Hebr.* 12.
nostrũ? at Christũ ex ore Pauli loquẽtẽ

audire noluistis; Honorabile connubiũ, & thorus immaculatus. Reliquũ igitur est, vt gẽtibus annumeremus; sed vt sceleſtiores, & magis impios, quàm ipsæ sint, vos etiam illæ repellent. est enim apud Platonem, eum, qui cuncta fabricatus est, probum esse, probum autẽ nemini vlla in re inuidere. tu verò ipsum improbum appellas, & malarum rerum procreatorem. Verum ne extimescas, habes istius consortem sectæ diabolum, & angelos eius, vel potius ne eos quidẽ. neq; enim propterea, quòd te illi in istũ furorem induxerũt, eadem ipsos sentire existimes. scire enim eos Deum esse bonum, argumento tibi sit ipsorum vox exclamantium tum hoc, Scimus quòd sanctus Dei sis, tum illud, Isti homines serui Dei excelsi sunt, qui annunciãt vobis viam salutis. Etiamne igitur virginitatem commemorabitis? etiam in ea

Mar. 1.
Act. 16.

gloria-

gloriabimini? ac nõ potius vestram deflebitis, & lugebitis stultitiam, propter quam diabolus vos colligatos veluti captiuos trahit in ignẽ æternũ? At non es matrimonio cõiũcta? at nõ eo omnino virginitas definitur: quæ enim liberam habuit nubendi potestatẽ, & à nubendi consilio abfuit, hanc ego virginem esse dixerim. cum autem te connubio lege prohiberi dicis, istud, quod à te recte factum est, non iam liberæ tuæ voluntati, sed necessario legis iusso tribuẽdum est. Quapropter Persas eos admiramur, qui matres vxores non ducunt, Romanos non item. nam apud eos id omnibus omnino execrandum videtur: apud vero Persas impunitas audendi talia causę fuit, vt, qui ab huiusmodi coniunctionibus abstinerent, laudibus afficerẽtur. & hac quidem ratione de nuptijs est inquirendum. nos enim, quòd omnibus licet ma-

trimonio se coniungere, merito eos, qui non nubunt, admiramur: vos vero, qui nuptias in numerum flagitiosarum rerũ retulistis, minime vobis eã virginitatis laudem assumere potestis. nam, à vetitis abstinere, nequaquam est præstantis, & egregij animi argumentum. illud certe perfectæ virtutis est, non ea cauere, quæ si commiserimus, ab omnibus mali iudicemur, sed in iis excellere, quæ non expetita improbitatẽ non coarguunt, culta vero, atq; perfecta non solum homines liberant suspitione improbitatis, sed argumento sunt, eos inter bonos referri debere. vt enim eunuchis, quòd nõ nupserint, virginitatis laudẽ nemo tribuerit, sic neq; vobis. quod enim illi naturæ necessitate, id vos anticipatione malæ mentis effecistis; & quã ipsis ea in re gloriam corporis debilitas abstulit, eam vobis integris diabolus, rectis ablatis cogitationibus

tationibus, eripuit: atq; ita hac, quã neceſſario ſeruetis, nõ nubẽdi lege propoſita, laborib. quidẽ aſsidue vos exercet, ſed ad honores peruenire prohibet. Tu cõiugiũ uetas? at tibi, tantum aberit, vt, propterea quòd nõ nupſeris, merces detur, vt etiã ob id ipſum cruciatus, et ſupplicia perferas. Tu, inquit, matrimonio nõ prohibes? minime. minime vero ſit, vt vſq; adeo tecum inſaniã. Quo modo igitur, ait, hortaris homines, vti matrimonio ne coniungantur? quòd mihi ipſe perſuadeo, virginitatem coniugio multo eſſe præſtantiorem; neq; tamen propterea connubium in malis pono; quin etiam ipſum magnis laudibus affício. eſt enim continentiæ portus iis, qui præclare eo vti voluerint. nam neque appetitũ furere ſinit: quaſi enim molem quandã illi legitimã opponẽs cõiũctionẽ, & libidinis fluctus ſuſtinẽs, in magna nos

X. *Cohortari ad virginitatem, non eſſe prohibere connubium.*

nos tranquillitate collocat, & retinet. At sunt quidam, qui huiusmodi præsidij non indigeant, sed eius loco ieiunijs, vigilijs, corpore super solo sternendo, vita deniq; duriter agenda, naturæ furorem leniant. hos equidē cohortor, vti ne cōnubio iungantur: quo minus id faciant, nō impedio. Magna vero est vtriusque verbi differentia, & plane tanta, quantū inter necessitatem interest, & liberam cuiusq; voluntatem. nam is, qui consilium alteri dat, ita dimittit auditorem, vt ei integra sint ea, de quibus consiliū dedit: qui vero prohibet, is hanc aufert ab eo facultatem. accedit ad id, quòd ego, virginitatem suadens, non damno coniugium; neq; eum, qui me non audierit, accuso: tu, cum & nuptias condemnes, malumq; appelles, & legumlatoris, non consiliarij personam arripias, qui tibi nō obtēperant, merito eos odisti. ego vero

non

non ita; verum, cum illos admiror, qui ad hoc certamen nomina dederint, tamen, qui eò non descenderint, nõ accuso: accusatio enim ea iusta est, quæ contra illum adhibetur, qui id commiserit, quod omnes malum confitentur. nam qui leuiorem aliquam virtutem adeptus est, neq; aliam ea maiorem assecutus, vt eandem laudem, & admirationem non habeat, non tamen propterea est accusandus. Qui igitur prohibeo connubiũ, qui nubentes non reprehẽdo? stupra veto, & adulteria, coniugium minime ego quidem. qui vero illa audent, punio, & à sacris, atq; à communione Ecclesiæ repello. qui autem nuptias colunt, dum id caste faciant, ijs ego perpetuam laudem tribuo. quamobrem duplex lucrum fit, alterum, quòd Dei operibus crimen nõ offertur, alterũ, quòd virginitas sua dignitate non spoliatur, quin etiam multo

XI. illa ipsa præstantior ostenditur. Qui enim matrimonium vituperat, virginitatis gloriã funditus tollit: qui vero id laudat, multo illam ipsam admirabiliorem reddit, ac præclariorem. quod enim prę eo, quod deterius est, bonum videtur, non id admodum bonum fuerit: quod vero iis, quę omniũ sententia bona sunt, melius esse constat, illud pręstantissimũ bonum est, cuiusmodi virginitatem esse nos docemus. Quare, quemadmodum qui nuptias in malis ponunt, suam virginitati laudem detrahunt: sic qui coniugium à crimine vindicant, non magis ipsum cõiugium, quàm virginalem laudant castitatem. etenim in corporibus non ea, quæ mancis, ac debilibus, sed quæ sanis, & integris comparata excellunt, pulchriora dicimus. Bonum est connubium. est vero ob eã causam virginitas admirabilis, quæ eo, quod bonũ est,

Qui coniugiũ improbat, eum simul violare virginitatẽ.

est; melior existit, tãtoq; melior, quãto remigib. gubernator, quãto est militib. dux prestãtior. sed quemadmodũ, è naui si remiges sustuleris, nauigiũ submerseris; si milites submoueris è prelio, ducẽ hostib. cõstrictũ tradideris: ita, si matrimoniũ loco deieceris, virginitatis prodideris gloriã, & in sũmorũ ordinẽ malorũ cõpuleris. Virginitas est bonũ. id ego quoq; fateor. Atq nuptiis etiã melior. & istud tibi assentior, ac, si libet, illud adiungã, tãto nuptiis eã præstare, quãto cælum terræ, quanto hominibus angeli antecellunt; ac, si quid præterea audẽdũ est, etiã magis. nã si neq; nubunt angeli, neq; vxorẽ ducunt; non etiam carne, & sanguine coagmẽtati sunt; in terris preterea nõ cõmorãtur; nõ cupiditatũ, aut libidinum perturbationibus sunt obnoxij; non cibi indigent, aut potus; non sunt eiusmodi, vt eos dulcis sonus, aut

cantus mollire, aut præclara ſpecies poſſit allicere; nulla deniq; eius generis capiuntur illecebra: ſed, quemadmodum cælum ſummo meridie, nullis perturbatum nubibus, purum, & lucidū apparet, ſic angelorum natura, nullis commota perturbationibus, neceſſario clara permanet, & illuſtris. At humanum genus, cum natura beatis illis mentibus inferius ſit, omni vi, ſtudioq́; contendit, vt, quoad eius fieri poteſt, illas aſſequatur: quo modo? non nubunt angeli, neq; vxorē ducunt: at neq; etiam virgo. aſsiſtentes illi ſemper ad Deum, eidem inſeruiunt: & iſtud ipſum virgo. quamobrem Paulus ab omnibus curis eas auocat, vt attēte & aſsidue Deo ſeruire, neq; vlla inde re diſtrahi poſsint. Quòd ſi virgines, quàm diu corporis onere deprimuntur, quemadmodū angeli in cęlum nequeūt aſcendere; illud eo vel maximo ſolatio compen-

XII. *Qui virginitatem vere colant, eos ex hominibus angelos fieri.*

compẽsant, quôd, modo spiritu, & corpore sancte sint, cæli Regem recipiunt. Vides ne virginitatis præstantiam? quo modo terrarum incolas sic afficiat, vt eisdem illi, quibus cęlites, muneribus perfungantur; & qui corpore vestiti sunt, eos incorporeis mentibus exæquet, & homines ipsos æmulos studij efficiat angelorum? Verum nihil ad vos ista, qui & tantam rem violastis, & Dominum accusastis, improbũq; appellastis. quãobrem ea vos, quæ seruo debentur improbo, manent supplicia: piis autẽ virginibus multa, & maxima prẽsto erũt bona, & plane ea, quæ nõ modo supra sunt oculorum, & aurium sensum, sed omnẽ hominum mentem, & cogitationẽ superant. Quamobrem, illis omissis, (satis enim contra eos disputatum est) ad Ecclesiæ filios reliquum sermonem conuertemus. Vnde igitur præstat initium

XIII. *Paulum illis uerbis, reliquis ego dico, non Dominus, non hominis consilium ostẽdisse.*

dicendi facere? nempe ab eo Domini sermone, quem is diuo Paulo habuit internuncio, huius enim admonitionem, Domini admonitionem esse, necessario credendum est. etenim, cum inquit, Iis, qui matrimonio iuncti sunt, præcipio nõ ego, sed Dominus; & illud, Reliquis autem ego dico, non Dominus; non eo dixit, quasi alia sua, alia Domini esset oratio: quo modo enim is, qui Christum in se loquentem haberet, qui viuere nõ curaret, vt Christus in ipso viueret, qui regnum, qui vitam, qui angelos, qui potestates, qui reliquas res creatas, qui omnino omnia caritate in Christũ inferiora duceret, quo modo, inquam, præsertim de his legem ferens, ea non dicam dicere, sed cogitare esset ausus, quæ ex Christi sententia non essent? Sed quo modo illa accipi debent, ego, & nõ ego? nẽpe hoc modo: leges nobis tulit, & decreta

1. Cor. 7.

creta fecit partim per se Christ', p artim per Apostolos. quòd autem ipse per se leges omnes nō tulerit, audi eiusdē testimoniū: Multa habeo vobis dicere, sed nō potestis portare modo. quocirca de vxore, quæ à viro discedere nō debeat, anticipans illud ipse Christus, legem nobis imposuit tum, cum homo versabatur in terris; propterea inquit, Iis, qui matrimonio iuncti sunt, pręcipio non ego, sed Dominus: de infidelibus vero nobis ipse nihil dixit, sed ad id Pauli incitans animū, eius ore legem tulit, ac propterea inquit, Si quis vxorem habet infidelem, & hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illā; & si qua mulier habet virū infidelē, & hic cōsentit habitare cū illa, nō dimittat virū. ob id igitur dixit, Nō Dominus, sed ego; nō eo volēs; ostēdere, humanū illud esse dictū; qui enim fieri potest? verū id præceptū, cū hic esset, Ioan. 16.

Christum

Christum discipulis non tradidisse, sed nunc se internũcio tradere. vt igitur illud, Dominus, non ego, haud illius est, qui Christi iusso aduersetur: ita hoc, Ego, non Dominus, nõ ab eo dicitur, qui præter Dei sentẽtiam suum ipse, ac proprium aliquid afferat, sed ab eo, qui tantum hoc ostendat, per se nobis id nunc præceptum traditum esse. etenim de vi-
1. Cor. 7. dua cum loquitur ipse, Beatior, inquit, est, si sic permanserit secundum meum cõsilium: deinde ne, cum illud audieris, Secundum meum consilium, id ab homine excogitatum arbitreris, suspitionẽ cõsequenti oratione sustulit in hunc modum: Puto autem, quòd & ego spiritum Dei habeam. Quemadmodum igitur, cũ ea, quæ Spiritus sancti essent, loquebatur, suum dixit esse consilium; neq; eã propterea nos hominis sentẽtiam dicemus. sic neque hic etiam cum dicit, Ego

dico,

dico, nõ Dominus, ob id Pauli ſermonẽ exiſtimabis. Chriſtum enim in ſe loquẽtem habebat. neq; vero vnquam fuiſſet auſus de tanto hoc decreto ferre ſententiam, niſi inde legem nobis tuliſſet. ſic enim cum Paulo quiſpiam ageret. Ego fidelis homo cum infideli, cum impura purus cõſuetudinẽ habere non poſſum: tu paulo ante dixeras, dicere te iſta, non Dominum: vnde igitur id mihi tutum, certum ue fuerit? At diceret, Ne verearis: id enim dixi, quòd Chriſtum in me loquentem habeo, & quòd puto ſpiritũ Dei habere, ne eum ſermonem vlla ex parte humanũ eſſe ſuſpicere. niſi enim ita eſſet, nunquam cogitatis meis tantũ auctoritatis tribuiſſem: cogitationes enim mortalium timidæ, & incertæ prouidentiæ noſtrę. Præterea, quanta ſit legis vis vbiq; terrarum, oſtẽdit Eccleſia, legem ipſam diligenter ſeruans, alioqui Sap. 9.

e non

non seruatura, nisi persuasum haberet, ex Christi iusso illum omnino esse sermonem. Quid igitur ait Paulus, Domini instinctu cõcitatus? De quibus scripsistis mihi, bonum est homini mulierẽ non tangere. Hoc loco amauerit aliquis de eo Corinthios, quòd, cum nullũ antea à magistro suo de virginitate consilium habuissent, occupantes ipsi ab eodem illud requirant. eo nimirum ostendentes, quanta sibi iam diuinę gratię accessio facta esset. nam veteri testamẽto res perspicua non erat. neque enim solũ reliqua tum multitudo, sed & leuitæ, & sacerdotes, atq; adeo magnus ille Pontifex magni nuptias æstimabat. Sed quãobrẽ eò progressi sunt, ut id à Paulo quęrerent? acute illi rem, & præclare viderunt: quippe cum ipsis, maiori munere affectis, maioris etiam virtutis opus esset. Verum illud etiam considerandum est,

XIIII.

Cur ad Paulũ Corinthij de virginitate scripserint, nõ autem prior eos ipse admonuerit.

est, quamobrem Paulus nullum vnquã ipsis de eiusmodi consilio sermonẽ intulerit. non enim, si quid horum illi accepissent, iterum ad eum scribentes de eisdem rebus rursus eius sententiam requisiuissent. atq; hinc etiã admirabilẽ Pauli sapientiam licet animaduertere. non enim temere, aut sine causa tãta de re admonitionem prætermisit, sed expectauit, dum id prius cuperent Corinthij, & aliquam eius rei susciperent cogitationem, vt, cum eorum animos, qui ad virginitatem præparati essent, excolendos susscepisset, fructuosos hisce de rebus in illis sermones sereret. sic enim illis per se erga virginitatẽ affectis, factũ est, ut postea se maxime dociles ad Pauli consiliũ prębereẽt. adde, quòd huiꝰ rei magnitudinẽ, & grauissimũ põdus ostẽdit. nõ enĩ, nisi ita se res haberet, illorũ ea in re alacritatẽ expectasset, sed ãteuertẽs ipse rẽ

introduxissẽt, ac si non vt iussum, aut præceptum, certe vt admonitionẽ, atq; consilium: sed cum ne sibi id quidẽ sumpsisset, vt prior faceret, liquido nobis ostendit, quàm multi sudoris, quantæque contẽtionis virginitas indigeat. quo etiam cõmunem Dominum imitatus est. nam & ille tum, cũ discipuli eum interrogarunt, de virginitate disseruit. cum enim dixissent, Si ita est causa hominis cum vxore, expedit non nubere; tunc ait, Sunt Eunuchi, qui se ipsos castrauerunt propter regnũ cælorum. cũ enim id, quod recte fit, magnum, & difficile est, neq; ob eam causam iusso concluditur necessario; tunc expectandum est, dum iis, qui id ipsum assequi volunt, rei cupiditas innascatur, alio quodã modo, ac sine vlla suspitione comparatis illis ad eiusdem rei studium, & voluntatem. Sic itaq; Christus fecit. nõ enim eos vlla di-

Matth. 19.

sputatione

ſputatione de virginitate in cupiditatẽ virginitatis adduxit, ſed tantũ in ſermone dẽ nuptiis, rei grauitate demõſtrata: atq; in iis terminata oratione, rẽ tractauit adeo ſapienter, vt, qui de virginitate nihil audiuiſſent, ſua ſponte dicerẽt, Expedit nõ nubere. ob id Paulus etiã Chriſti imitator inquit, De quibus ſcripſiſtis mihi. quod perinde eſt, quaſi de iis ita reſpondiſſet; Equidem propter ſummam rei difficultatem nunquã per me vos eſſem auſus in tam excelſum locum compellere; verum cum id anteuertẽtes ipſi de eo ad me ſcripſeritis, propterea, quid mei conſilij ſit, fidẽter vobis exponam: Bonum eſt homini mulierem non tangere. Verum quid eſt cauſæ, quòd, cum multis de rebus ad Corinthios ſcripſiſſet Paulus, nuſquã huius ipſe fecerit mentionẽ? nihil, niſi id, quod iam dictũ eſt: ne quis enim litterarum admonitionem

moleste ferret, in memoriam eorum redigit, quæ ipsi scripserant. ac ne ita quidem occasionem nactus maximã; vehementiorem adhibet admonitionem, sed remissius cum illis agit, in eo etiam Christũ imitatus: Saluator enim in extremo illo sermone, quem de virginitate habuit, illud adiecit, Qui potest capere, capiat. at quid ait Paulus? De quibus scripsistis mihi, bonum est homini mulierem non tãgere. Sed dixerit fortasse quispiam, si præstat mulierem non tangere, quid sunt introductæ nuptiæ? aut, si non ad coniugium, & ad liberorum procreationẽ mulieres adhibemus, quid est præterea, in quo illæ nobis vsui esse possint? morte enim quotidie consumẽte, atq; cædente humanum genus, neq; hoc permittente sermone, vt, aliis cadẽtibus, alij exoriãtur, quid prohibet, quo minus vniuersi homines intereant? si enim

XV. *Oppositio eorum, qui virginitatẽ eijciunt, et solutio.*

nim bonum id sequeremur omnes, neq; mulierē attingeremus, perirent omnia, & vrbes, et familiæ, & agri, & artes, et animantes, & cuncta, quæ ex terra oriūtur. quare quemadmodū, vbi cecidit Imperator, omnes ordines in acie dissipari necesse est: sic homine, qui omnium in terris est Imperator, quia nuptias nō colat, sublato, nihil præterea reliquum est, quod salutem suam, ordinemq; tueatur: atq; hoc ipsum præclarū consiliū cōplebit orbē terrarū malis innumerabilibus. Equidē, si hostiū, & infideliū tantūmodo hæc esset oratio, parui eā æstimassē; cū vero multi ex iis etiā, qui in Ecclesiæ numero vidētur esse, eadē ista dicāt, atq; imbecillitate cōsilij à virginitate deficientes, eā, quòd multi sudoris sit, improbēt, & inanē esse ostēdāt, eo videlicet cōsilio, vt suam tegant pigritiā, neq; negligentia, sed recto iudicio certamen illud

contem-

contempsisse videantur: age iam, omissis hostibus, (nam animalis homo non
Cor. 1. percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei: stultitia enim est illi) eos, qui nobiscū facere simulant, vtrunq; doceamus, & virginitatem non modo non superuacaneam, sed valde esse fructuosam, maximeque necessariā, & ipsos, quòd virginitati crimen offerunt, non impune laturos, sed tantum eiusce rei pœnarum subituros, quantum iis, qui virginitatē coluerint, & mercedis, & laudis tribuetur. vt enim vniuersus hic mūdus factus est, & parata nobis omnia, quæ ad quietem nostram, vsumq; pertinerent; Deus hominē finxit, cuius etiam causa mundum fabricatus erat. is igitur in paradiso remansit, neq; vlla nuptiarum mentio facta est. opus ei fuit adiutrice: adhibita est. ne tum quidem coniugium visum est necessarium; immo vero ne apparebat quidem:

quinetiam

quinetiam illi connubij expertes in paradiſo, tanquam in cęlo, vitam degebãt, & iucundiſsima Dei conſuetudine fruebantur. nam & coniũctionis appetitio, & cõceptio, & partuũ dolores, & partus ipſi, interitus deniq; oẽ genus lõge aberat ab illorũ animis; & quẽadmodũ amnis liquidus è puro fonte profluẽs, ſic ipſi ibi vitã agebãt virginali caſtitate decorati: & tũ erat in oĩbus terris ab hoĩbus ſolitudo: quod nũc verentur iſti, qui de orbe terrarum laborant: ea enim eſt horum hominũ ratio, aliena vti ſedulo curent, ſuarum vero rerum ne minimam quidem cogitationem ſuſcipiãt; & cum de eo ſoliciti ſint, ne commune hominũ genus aliquãdo deficiat, omnem animæ ſuæ, tanquã alienæ, curam quiſq; negligit, preſertim cum eius cauſa ſumma vel minimarum rerum, paucitatis vero hominũ ne minima quidem ratio ab ipſis

reposcenda sit. non erant tum oppida, non artes, non familiæ, (neq; enim leuiter vos ista curatis) sed tũ ista non erant, neq; tamen beatam illam vitam, & hac nostra longe meliorem quidquam aut impediebat, aut incidebat. at simul atq; Deo non obtemperauerũt, ac terra, cinisq; facti sunt, simul cũ beata illa viuendi ratione virginitatis decus amiserunt, & vna cum Deo semigrauit ab eis castitas virginalis. nã quàm diu à diaboli seruitute liberi fuerunt, ac Dominum suum sunt veriti, fuit penes eos virginitas, quæ maiori ipsis erat ornamẽto, quàm sit diadema Regibus, aut aurea vestimenta. postea vero quàm captiui fuerunt, & regiam ipsam exuerunt stolam, cælestiq; ornatu abiecto, morti, dissolutioni, execrationiq; propositi, miseram, & laboriosam vitam instituerũt; tũc vna cũ illis succesit connubiũ, mortale hoc, &

seruile

seruile vestimentũ; Qui, inquit, cũ vxore est, solicitus est, quæ sũt mũdi. Vides ne vnde initiũ habuerint nuptiæ? vnde necessario profectę esse videãtur? à diuini prȩcepti cõtẽptione, ab execrationibus, à morte: si quidẽ vbi mors est, ibi nuptiæ cõmorãtur: quę si nõ esset, neq; nuptiæ sequerẽtur. At hæc virginitatẽ nõ cõsequũtur; sed illi semper utilitas, felicitas, beatitudoq; comitãtur, tam nõ dum morte, aut nuptiis introductis, q̃ post earũ introductionẽ. Cedo, quod cõnubiũ Adã procreauit? q dolores Euã pepererunt? neq; enim habes quod respõdeas: quid igitur sine causa cõtremiscis metu perterritus, ne sublatis nuptijs consistat ortus humani generis? Innumerabiles angeli Deo inseruiũt, infinita vis archãgelorũ ad ipsũ assistit; neq; quisquã eorũ est ex naturæ successione, ex partu, ex dolorib., ex cõceptione procreatus.

multo igitur magis homines sine coniugio fingere potuit, quemadmodum primos finxit, vnde genus hominum vniuersum exortum est. Neque vero nunc etiam genus nostrum auget connubij uis, sed Domini oratio ea, quam habuit initio, Crescite, & multiplicamini, & replete terram. Quid enim, quæso, Abraham ad liberos gignendos nuptiæ profuerunt? an non is, cum tot annos uxorem haberet in matrimonio, tandem eiusmodi vocem emisit? Domine Deus quid dabis mihi? ego vadam absq; liberis. Vt igitur tum ex mortuis corporibus Deus prolem et stirpem excitauit ad innumerabiliũ hominũ procreationem: sic idem à primo, si dicto audiens Adam illam omisisset ligni voluptatem, viam reperire potuit, qua humanũ genus augeret. neq; enim unquam contra Dei voluntatem exercendis nuptiis

XVI. *Coniugium nõ augere genus humanum.*

Gen. 15.

maior

maior erit hominũ numerus; neq; eorundem multitudo colenda virginitate, Deoq; id approbante, minuetur. Verũ, inquit, id voluit nostra culpa, quòd ei nõ obtemperauimus. quid est enim, quòd ante, quàm in fraudẽ induceremur, nullum extitit connubium? quamobrẽ nulla fuit in paradiso corporis coniunctio? cur ante nostri execrationem nulli partuum dolores? quòd erãt tum illa superuacanea, quę deinde fuerũt propter hominum infirmitatem necessaria; neque solũ hæc ipsa, sed alia omnia, oppida, artificia, vestium cultus, & ornatus, & omnino reliqua necessariarũ rerum turba: his enim contractis omnibus, mors in orbem terrarum irruit, hoc instructa comitatu. Quamobrem non est, vt quod infirmitati tuæ remissum est, id non modo virginitati præferendum, sed ne cum ea quidem conferendum putes. nam si

ista ratione, & via processeris; duas etiam habere in matrimonio, quòd id lege Moisis permissum fuit, q̃ vna vxore cõtentum esse, melius affirmabis; isto etiam modo diuitias paupertati voluntariæ, luxuriam frugalitati præposueris; atq; adeo iniuriã vlcisci, quàm fortiter ferre, præstare dixeris. Tu igitur, inquit, ista improbas? ego vero non improbo; nam & à Deo concessa sunt, & fuerunt tẽpore fructuosa; at leuia esse dico, neq; tã virorum recte facta, quàm puerorũ appello. Quare cũ perfectos nos Christus vellet efficere, iussit illa tanquã pueriles vestes deponere, quæ neque virum perfectum tegere possent, neq; ornare mensurã ætatis plenitudinis Christi; his vero ornatioribus, & pretiosioribus, q̃ illę essent, vestiri voluit, nõ ea re sibi ipse cõtrarius, sed maxime cõsentaneus: nã etsi hæc sunt illis iussa grauiora, tamẽ

XVII. *Cõiugium esse indulgentiã.*

Ephes. 4.

idem

idem fuit legumlatoris propositum. sed quodnam id est? vt, animarum nostrarũ omni prauitate circumcisa, nos ad perfectam virtutem deduceret. quòd si id rationis habuisset, nullum vt nobis priore grauius onus imponeret, sed idẽ permitteret, vt in eisdem illis perpetuo versaremur, neq; vnquã nos ab illa humilitate subleuasset, hoc nimirum ostendisset, quantũ à se ipse dissentiret. Quemadmodum enim initio situm, cum adhuc esset imbecillius, & puerili quadã infirmitate humanũ genus, arduam hanc proposuit viuendi rationẽ, nũquã moderatam postea recepissemus; sed quæ ad salutẽ nostram pertinerent, immoderata hac ipsa regula nobis omnia periisset: ita, si post lõginquũ illud tẽpus, & rudẽ eam disciplinã, quæ lege tradebatur, cũ ad cælestẽ hãc philosophiã dies nos hortaretur, in terris permanere passus esset, parum admodum

admodũ nobis illa profeciſſet indulgentia, niſi ea perfectionis vis acceſsiſſet, propter quã indulgẽtia tributa eſt. Verũ aſsimile quidpiã nobis, & pullis auiũ accidit. nam vbi illos aluit mater, educit quidẽ è nido; ſed ſi propter imbecillitatẽ decidere viderit, & ipſis opus eſſe intus amplius educari cognouerit, aliquot dies ibidem eſſe ſinit, non iam perpetuo vti commorentur in nido, ſed dum, prę-clare corroboratis alis, & omni confirmato robore, ſecuri deinceps volatũ ſuſcipere queant. ſic etiam nos Dominus noſter à primo trahebat ad cęlum, & viam mõſtrabat, quę illuc duceret, non ſane ignorãs, ſed qui vel optime intelligeret, non ſatis fore nos ad illum conficiendum volatũ. voluit autem nobis oſtẽdere, non ſua volũtate eum fieri caſum, ſed imbecillitate noſtra. quod ſimulatq; demonſtrauit, poſtea permiſit, vt terrenis

his

his rebus, cultuq; nuptiarum, tanquam in aliquo nido diutius aleremur. vt vero nobis virtutis pennæ lõgo temporis interuallo naſci cœperũt, tunc ſenſim accedens, è terreno domicilio eductos, altius docuit euolare. ergo lãguidiores alij, arctiſsimeq; etiam dormientes, & in humanis rebus defixi, nidi adhuc manſione delectantur; alij generoſiores, & amantes lucis, hunc locum facillime deſerunt, ac, relictis in terris nuptijs, pecuniis, curis, aliisque rebus omnibus, quæcunq; mortales ad terram reuocare conſueuerunt, ſuperas partes petunt, ad cælumq; perueniunt. Quamobrem nõ eſt, vt initio conceſſum coniugiũ deinceps eiuſmodi eſſe exiſtimemus, quaſi neceſſario ab eo diſcedere prohibeamur. nam ipſum velle, vt nuptiis abſtineamus, ex eius oratione cognoſce, Qui poteſt capere capiat. quòd id autem nõ ſtatuerit

initio, ne mireris. neque enim medicus omnia simul ægrotis, aut eodem tempore proponit adhibēda; sed dū febris æstu correpti iactātur, cibum prohibet duriorem; cum vero & ardorē illum, &, quę ab eo profecta sit, corporis infirmitatē depulerunt, tum omnem escam, quæ minus placeat, remouet, & permittit victum, quo antea assueuerunt. vt enim in corporibus inter se pugnātia principia, quòd in illis superet, vel deficiat aliquid, aduersam valetudinem creant: sic in anima immoderatæ perturbationes ipsius corrumpunt sanitatem. maxime autē opportunitate opus est, vt ad præsentes animorum commotiones diuinum iussum apte accōmodari possit. etenim animæ peruersitatē, nisi vtraq; hæc inter se conueniant, nūquam per se lex emendari queat; quemadmodum neq; etiam per se medicamentorum vis vlcus

vnquam

vnquã ſanare poſsit. idem enim peccatis leges ſunt, & remedia vulnerib⁹. An tu, cum medicum ſæpius idem vlcus modo ſecantem, modo vrẽtem, modo neutrũ horum in illo ipſo facientem, præſertim vero à fine ſæpenumero aberrãtem videas, de eodem curioſe nihil inquiris: in Deo autẽ, qui nuſquam offendit, ſed omnia pro ſua ſapientia recte, atque ordine diſponit, ſis mortalis ipſe curioſus? & ab eo inſtitutorum eius rationẽ repoſcas? neq; id infinitæ tribuas ſapientiæ? an nõ hæc ſumma amẽtia eſt? Creſcite, inquit, & multiplicamini. iſtud enim furẽte natura, cum neq; ea libidinis impetũ ferre poſſet, neque in illa tempeſtate portum aliũ haberet, quò eo fugeret, tẽpora poſtulabãt, quid igitur imperãdũ fuit? an vt continenter, caſteq; viuerent? at iſtud, & grauiorẽ caſum effeciſſet, & maiorẽ ignem accẽdiſſet: etenim ſi quis pueros,

qui solo lacte sunt alendi, remouerit ab eo cibo, & esca vesci, quæ corroboratis iam viris sit accommodata, coegerit, nihil prohibebit, quo minus statim intereant. tantum mali ineſt rebus intẽpestiuis. propterea non eſt initio virginitas instituta; immo vero prĩcipio virginitas tradita eſt, et illa, quàm matrimoniũ, prius apparuit; iccirco succesſit matrimoniũ secundo loco, viſumq; eſt neceſſarium. Quòd ſi Adam obedientiam non abieciſſet, haud illo nobis opus fuiſſet. At quo modo, dixerit quiſpiam, tot extitiſſent hominum millia? Ego vero, quando iſto timore tantopere cõmoueris, iterum abs te quæro, quo modo Adam, & Eua, non dum interpoſitis nuptiis, procreati fuerint? Quid igitur? vt illi nati ſunt, inquit, ſic reliqui oẽs naſci debebãt? Siue iſto modo, ſiue alio quopiã, nihil habeo dicere. quod enim nunc

in quæ-

in quæstione versatur, eiusmodi est, Deo, ad augẽdum hominũ genus in terris, nihil opus fuisse coniugio. Neq; vero genus humanum virginitate, sed peccato, obscænisq; coniunctionibus Noe ætate defeciſſe docuit, & hominum, & beluarũ, & omnino in terris omnis animantium generis interitus. si enim obscænam illam cupiditatẽ continuissent filij Dei, & virginitati honorem habuissent, neq; filias hominum iniquis oculis aspexissent: nunquam eos tanta calamitas oppressisset. at nemo propterea me causam illorũ cladis in nuptias conferre arbitretur. non enim id nunc ego dico, sed pestem, & interitum nostri generis non virginitati tribui, sed peccato assignari oportore. Est vero institutum liberos procreandi causa cõnubium; sed multo magis, vt in natura insitum restinguat ardorem: quod sane Paulus ita te-

XVIII. *Non virginitate, sed peccato imminui genus humanum.*

XIX. *Duas quidem olim fuisse cõnubij causas, verum nunc vnam tãtum reliquam esse.*

ſtatur: Propter fornicationē vnuſquiſq; ſuam vxorem habeat, non propter liberorum procreationem. & iterum eodē iubet conuenire, non vt multos liberos ſuſcipiant: ſed cur? Ne tentet, inquit, nos Satanas. atq; in eo ipſe progrediens non cupiditate prolis: ſed quamobrem? Si ſe, inquit, non continent, nubant. Duæ autem hæ fuerunt, quemadmodum initio dixi, coniugij inſtituendi cauſæ, ſed deinde & terra, & mari, & vniuerſo terrarum orbe animātium referto, vna relicta eſt coniungendi cauſa nuptiarum; vt libido, & incontinentia ſedaretur. ijs enim, qui nunc etiam in eiuſmodi libidinibus volutantur, ſuumq; more viuere, & in luſtris confici concupiſcunt, nō parum afferunt adiumenti nuptię ad illam impuritatem, & neceſsitatem tollendā, et ad pure, ſancteq; viuendū. Sed quouſq; vobiſcum ego hac vmbratili pugna dimicabo?

dimicabo? etenim vos ista differentes nihilo minus, q̃ nos, virginitatis præstantiam intelligitis. &, quæ à vobis dicuntur, omnia speciem simulationis habent, vestræq; sunt intemperantiæ tegumenta. Verum vt hæc impune dicere liceat, tamẽ vel ita à calumnia desistere oportuit. qui enim sic est animatus, vt præclaris rebus aduersetur, præter alia, quę facit, detrimenta, graue etiam adeo peruersa, & iniqua sentẽtia apud omnes testimoniũ de sua dicit improbitate, vt, etiam si nulla alia de causa, tamẽ, ne tantum in se cõtraheret inuidiæ, linguã cõtinere deberet; idq; cũ eũ, q in maximis certaminib. ceteris præstantes admiratur, licet ipsorũ assequ præmia nõ possit, tñ ab omnib. veniam cõsequi animaduertat. qui vero in illis ipsis nõ modo se nõ exercet, sed ea vituperat, q̃ præmiis amplissimis afficiẽda sũt, is, ut inimicus, & hostis

XX.

Vt nullum ijs, qui uirginiatem despiciũt periculũ propositum sit, graue tamen esse eã despicere.

& hostis virtutis, quiq; insanis hominibus miserior sit, iure omnib. in odio esse debet. insani enim nec, quę cõmittũt, intelligunt, nec, quę ferunt, sponte patiuntur. quamobrem cum eos iniuria afficiunt, qui rerum potiuntur, tantũ abest, vt pœnas pẽdant, vt ab illis etiam ipsis, quos iniuria lacessiuerunt, eis misericordia tribuatur. quòd si quis mentis compos, quæ illi non sua voluntate faciunt, eadem committere audeat, is, vt cõmunis naturæ hostis, iure sententiis omnib. condemnetur. Quamobrem etiam si, quemadmodũ dixi, eiusmodi criminatio impune esset; tamen eorum causa, quæ dicta sunt, ea oportuit abstinere. nunc vero vel magnum periculum calumniæ proponitur. Neq; enim solum qui sedens aduersus fratrem suum loquitur, & aduersus filium matris suæ ponit scãdalum, pœnam sustinebit, sed is etiã, qui

XXI. *Eos magnum adire periculum, qui virginitatem despiciunt.*

Psal. 49.

qui ea, quæ Deo præclara visa sunt, improbare conatur. verum accipe, quæ ab alio Propheta de hac ipsa re differantur. Væ tibi, qui dicis malum bonum, & bonum malum; qui ponis lucem tenebras, et tenebras lucem; qui ponis dulce amarum, & amarum dulce. quid enim virginitate suauius? quid pulchrius? quid illustrius? etenim ipsis Solis radiis fulgores splẽdidiores emittit; nos vero ab omnibus terrenis rebus auocans, sic afficit, vt Solem iustitiæ puris, & intentis oculis intueamur. & hęc quidẽ Esaias in eos vociferabatur, quorum essent corrupta iudicia. Audi vero præterea, quid alius Propheta, ab hac ipsa voce faciẽs initiũ, de iis dicat, qui in alios eiusmodi verborum pestes effundũt. Væ illi, qui potum dat amico suo turbidum: atq; hoc ipsũ, Væ, haudquaquã simplex verbum est, sed eo maximę minæ continentur. nam *Esa. 5.* *Aba. 2.*

h eam

eam nobis pœnam portendit, quæ neq; verbis explicari posit, neq; vnquam remittenda sit. etenim hæc ipsa vox in diuinis litteris posita est contra eos, qui futuram pœnam iam euitare nō poterūt.

Amos. 2. & iterum alius Propheta Iudæos accusans inquit: Et propinabatis Nazareis vinū. quòd si is, qui Nazareis vinū miscet, tantum subibit pœnarū: quo supplicio dignus erit, qui in animas simpliciū hominum turbidam infundit potionē? si, qui minimā eorū partē sustulerit, quæ lex iubet fieri, pœnæ se subiicit, quā vitare non potest: quibus cruciatibus afficietur, qui vniuersæ huic obtrectat sanctitati? Quisquis scādalizauerit, inquit,

Matth. 1. Marc. 9. Luc. 17. vnum ex his pusillis; expedit ei, vt suspē datur mola asinaria in collo eius, & in mare demergatur. Quid igitur dicēt, qui eiusmodi oratione non apud puerulum quempiam, sed apud multos offendunt?

quòd

quòd si quis dixerit fratri, Fatue, reus e- *Matth. 5.*
rit geennæ ignis: quantam in se contra-
het iram, qui hanc improbat æqualẽ in-
stituto angelorũ viuendi rationem? de-
risit olim Moisen Maria, multo quidem
leuius, & moderatius, quàm ipsi nunc
virginitatẽ derideatis; quippe quæ neq;
de homine detraxit, neq; tum virtutem
beati illius viri irrisione excepit, quẽ e-
tiam vehemẽter est admirata: tantũ di-
xit, iisdem se frui, quibus ille fruebatur:
& tamen Dei iram in se tanto pere con-
citauit, vt ne ipso quidẽ, qui lacessitus in-
iuria videbatur, pro ea magnopere de-
precante, quicquam profectũ sit, sed di-
uturniorem illius etiam opinione pœnã
pertulerit. Sed quid dico Mariam? cũ ad XXII.
Propter Elisæum pueros vtiliter interisse.
Bethleem pueri ludentes, quòd tantum
Eliseo dixerãt, Ascende calue, vsq; adeo
Deũ irritauerint, vt is in ipso sermone in
eam multitudinem (erant enim duo, &

quadraginta) vrſos immitteret, à quibus omnes diſcerpti ſunt. ita neq; ætas, neq; multitudo, neq; omnino illud, quod ioco dixiſſent, pueros tueri potuit; & iure id quidem optimo. nam ſi, qui tantos ſuſtinẽt labores, & pueris, & viris ludibrio ſunt: quis ex numero infirmiorum eos ipſos labores ſubire volet, qui ludo excipiantur, & irriſione hominũ? aut quis de populo virtutem colet, quam ita ridiculam eſſe videat? Quòd ſi nunc omnibus, qui vbiq; ſunt, virtutem admirantibus, neq; iis modo, qui ipſam expetiuerunt, ſed illis etiã, qui in eam inciderunt, grauate tamen multi mortales, ac tergiuerſantes, vix eius cauſa labores ſuſcipiunt: quis erit, qui, ſi eam nõ modo in admiratione non eſſe, ſed vituperari præterea videat ab omnibus, ad eandem amplectẽdam facile poſsit adduci? nam qui fortitudine excellunt, & iam ad cælum

perue-

peruenerunt, non multorum ſolatio indigent, ſed ad omnem alacritatem ſatis illis eſt ea laus, quam à Deo cõſequũtur: imbecillioribus vero, & iis, qui nuper in eam viam deducti ſunt, nõ parum accedit virium, cum, quid de ſe multitudo exiſtimet, intelligunt, donec rebus omnibus paulatim inſtructi eò perueniant, vt eiuſmodi ducis opera non amplius egeant. nec vero tantum id illorum cauſa factum eſt, ſed irriſorum etiam ſalutis gratia, ne, cum priorum erratorum nullam pœnam perſoluerint, in ea prauitate perſeuerent. Verum mihi iſta cõmemoranti in mentem veniunt, quæ præterea in Eliam cõmiſſa ſunt. quod enim pueri propter Eliſeum ab vrſis paſsi ſunt ſupplicium, idem propter eius magiſtrũ centum viri cum ſuis ducibus, igni è ſuperiore loco defluente, pertulerũt. nam quòd et illi ad Eliam accedentes, ac per 4. Regum 2.

ſummam diſsimulationem virum iuſtum appellantes, ad ſe iuſſerunt deſcendere, eius loco deſcendens ignis omnes abſumpſit, non ſecus atque illos antea feræ deuorarant. Quibus animaduerſis, omnes vos virginitatis hoſtes aliquando ianuam ori, & ſeram adhibete, ne ſupremo illo iudicij die eos intuentes, qui virginitatis ſplendore fulgebunt, ipſi etiam illud incipiatis dicere,

Sap. 5. Hi ſunt, quos aliquãdo habuimus in deriſum, & in ſimilitudinem improperij: nos inſenſati vitam illorum æſtimabamus inſaniam, & finem illorum ſine honore: quo modo computati ſunt inter filios Dei, & inter ſanctos ſors illorum eſt? ergo à via veritatis aberrauimus, & iuſtitiæ lumen non luxit nobis. ſed quis erit eorum verborũ fructus? cum eneruata tum pœnitentia futura ſit. Sed fortaſſe quæret aliquis veſtrum, fuerit ne quiſ-

XXIII.

Quid ſit, quãobrem qui eadem peccent, non eaſdẽ dent pœnas.

quisquam, qui postea sanctis hominibus male dixerit? multi, & vbiq; terrarum fuerunt. quid est igitur, inquit, quòd eandem non dederũt pœnam? dederunt illi quidem, & eiusmodi multos ipsi nouimus: si vero sunt, qui etiam pœnam effugerint, eam illi ad extremum, vt est apud diuum Paulum, nõ effugient: Quorundam enim, inquit, peccata manifesta sunt, præcedẽtia ad iudicium, quosdam autem & sequuntur: & vt legumlatores nocentium pœnas in actis scriptas relinquunt, sic etiam Dominus noster Iesus Christus in vnum, aut alterum facinorosum hominem animaduertens, tanquã in columna ænea, aut in tabulis descripta, quæ de illis sumpsit supplicia, deponit, vt, quæ illis acciderunt, palam expositis planum faciat omnibus, fore, vt, etiam si qui eadem committentes, easdem viui pœnas, quas illi ipsi dederunt, 1. Timoth. 5.

non

non dederint, mortui tamẽ grauiora ma

XXIIII. *Qui peccant, neq; peccatorũ pœnas pendũt, nõ eo confidere, sed magis timere debere.*

la patiantur. Quamobrem cum multa peccantes, nullas sceleru pœnas pendimus, ne cõfidamus, sed timeamus potius. quamuis enim hic à Deo non iudicamur, tamen vna cũ mundo apud inferos condemnabimur. cuius rursus equidem non sum auctor sentẽtiæ, sed is eam pronũtiauit, qui in Paulo loquitur, Christus: sic enim inquit, cum ad eos loquitur, qui mysteriorum immerito participes fieri volunt: Ideo inter vos multi infirmi, & imbecilles, & dormiunt multi.

1. Cor. 2.

quòd si nosmet ipsos diiudicaremus, nõ vtique iudicaremur: dũ iudicamur autẽ, à Domino corripimur, vt non cum hoc mundo damnemur. quidã enim, quòd eorum sint mediocria delicta, & quòd supplicio affecti, nunquam postea in eadem vitia delabentes, canem ad vomitionem redeuntẽ imitantur, in vita modo

do castigationis indigent. Sunt alij, qui propter summam improbitatem & vi-ui, & mortui peccatorum pœnas persol uent. alij vero tantummodo apud infe-ros afficientur suppliciis. quòd enim in-dignissima omnium facinora commise-runt, indigni sunt, qui cum hominibus torqueantur. Neq; enim, inquit, cũ ho- *Psal. 72.*
minibus flagellabuntur; vt qui in id tem pus reseruati sint, quo cum dæmonibus supplicia expẽdant. Discedite enim, ait, *Matth. 25.*
à me in ignem æternum, paratum diabo lo, & angelis eius. Multi sacerdotiũ pe-cunia rapuerunt: qui quanquam, vnde obiurgarentur, habuerũt neminẽ, neq; ea audierunt, quæ Simo olim magus ac- *Act. 7.*
cepit à Petro; non eo tamen illud impu-ne ferẽt, sed quòd, ne exemplo quidem proposito, non resipuerunt, multo gra-uiores cruciatus sustinebunt, quàm qui *Num. 16.*
viuis ipsis debebãtur. multi autem, quæ

Core, sunt ausi, neq; tamẽ eandẽ, quam ille, pœnam dederunt, sed dabũt postea cruciatibus affecti grauioribus. Nõ pauci, Pharaonis impietatem imitati, non iam, vt ille, mari submersi sunt, sed geennæ pelagus ipsos manet. neq; enim in eos, qui fratres stultos appellant, iam animaduersum est: nã ipsis ad inferos sunt reseruata supplicia. Quamobrẽ non est, vt Dei sententias verba tantum esse existimetis. ob id enim ipse non nullas, id quod de Saphira, Charmi, Aaron, multisq; aliis cõstat, exitu comprobauit, vt, qui verbis eius fidem nõ habent, rerum testimoniis perterriti, & desinãt aliquãdo versari in hoc errore, se nihil pœnarum daturos, & discant eò spectare Dei benignitatem, vt præfiniat fontibus tẽpus agendæ pœnitentiæ, non in eo positam esse, vt omnino det peccatorũ impunitatem illis, qui in vitiis perseuerant.

Gen. 12.

Ios. 7.
Num. 3.

Possem

Possem equidē plura de eo dicere, quantum in se contrahant incēdium, qui virginitatis decus extenuant: sed & prudētibus satis sunt, quæ diximus, neque possent deprauatos, & furiosos multo his plura ab illa insania remouere. quamobrem eam partem omittentes, ad eos, qui rei sunt intelligētes, omnem orationem conuertemus: et ad illud diui Pauli redibimus, De quibus scripsistis mihi, bonū est homini mulierem non tangere. Illos igitur pudeat, & qui coniugium improbant, & qui plus ei tribuunt, quàm rei dignitas postulat. vtrosq; enim diuus Paulus cū his, quę dicta sunt, reddit elingues, tum iis, quæ deinceps dicentur. Bonum est coniugiū, quippe quòd hominē retinet in officio tēperātiæ, neq; delapsum in adulterium patitur interire. quare ne ipsum vituperes. magnas enim habet vtilitates: nā Christi mēbra meretricis

XXV. *Imbecillis necessarium est coniugium.*

membra esse non sinit: neq; sacrum, & purum templum prophanum, aut impurum fieri patitur; propterea bonum est, quòd labentẽ sustinet; & erigit: sed quid ad eum, qui stat, hoc ipsum attinet? aut quanti id illius refert, qui eius non egeat adminiculo? hic enim neq; vtile est, neque necessarium, sed virtuti prętera est impedimento: non enim solum multas affert moras, sed maiorem etiam partẽ detrahit gloriæ. Nam si quis eum armis vndiq; texerit, qui & nudus descendere in certamen, et ita superior esse possit; is, tãtum abest, vt opem ferat, vt summam illi faciat iniuriam, quippe qui omnem victoriæ admirationem tollit, & palmæ splendorem. neq; enim viri virtutẽ vniuersam elucere, neq; trophæum admodum celebre esse sinit. In nuptiis vero maius etiam damnum fit, quòd non solum popularem gloriam, sed eam etiam

XXVI. *Maximam sibi ipsum facere iniuriam, qui cum virginitatem colere possit, cõnubio iungitur.*

mercedem

mercedem non habent, quæ virginitati proposita est. Quamobrem bonum est homini mulierem non tangere. quid tu igitur tangere permittis? Propter fornicationem, inquit, vnusquisq; habeat vxorem suã. Vereor, inquit, si te ad virginitatis verticem extollere voluero, ne in voraginem intemperantię delabaris. nondũ enim ea pennarũ leuitate præditus es, vt te ad excelsum illũ locũ efferre possim. atqui sponte ipsi in illud certamen descenderunt, & virginalem laudẽ appetiuerũt. quid igitur est, diue Paule, quòd timeas, aut horreas? quòd rei ignoratio (ita enim fortasse dixerit) hanc hominibus virginitatis expetendæ alacritatẽ addit. me vero huiusce vsus, & periclitatio pugnę reddit ad consulendum aliis timidiorẽ. Noui virginitatis vim: noui huius certaminis contentionem: quantum hoc habeat prælium difficul-

XXVII. *Magnũ quiddam esse virginitatem, & magnorũ conciliatricẽ bonorum.*

tatis,intelligo: vehementi quodam,& forti animo opus est, & qui nullum habeat sensum voluptatis: quandoquidem per candentes carbones, vt non aduraris,per mucrones gladiorum, vt non saucieris,est incedendum: ea est enim libidinis vis, vt cum igni, & ferro conferatur. quòd nisi sic anima comparata fuerit, vt ne illius quidem doloribus mouea tur: se ipsa facile perdat. quamobrem adamãtina quadã rationis vi, oculis nunquam somno cõniuentibus, summa tolerantia, muris etiam firmis, muris inquã nobis opus est, & repagulis, quibus extrinsecus muniamur: vigilãtibus prę terea, fortibusq; custodibus, in primis. vero diuinæ gratiæ indigemus adiumẽto. Nisi enim Dominus custodierit ciuitatem, frustra vigilat qui custodit eam. Sed quo modo hoc ipsum adiumẽtũ nobis conciliabimus? si, quantum animo

Psal. 126.

valemus,

valemus,& corpore,totum eò contulerimus,rectas nempe cogitationes, ſummam ieiunij, & vigiliarum intẽtionem, accuratam diuinę legis obſeruationem, præceptorum obedientiam,&,quod caput eſt, omnem confidentiæ noſtræ vitationem. licet enim magna facinora fecerimus, tamẽ illud nobiſcum perpetuo loquamur,oportet: Niſi Dominus ædificauerit domum, in vanũ laborauerũt, qui ędificant eam: quoniam non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem, & ſanguinẽ, ſed aduerſus principes,& poteſtates, aduerſus mundi rectores tenebrarũ ſæculi huius,contra ſpiritalia nequitię in cęleſtibus;ac noctes diesq; nos armis cogitationũ armatos,& tanquã impudẽtib⁹ libidinib. formidoloſos eſſe oportet. etenim ſi quis paulum de intentione remiſerit,continuo diabolus adeſt, ignem tenens in manibus, quo in templum Dei

Pſal. 126.

Epheſ. 6.

Dei coniectio, illud incendat. ergo tecti vndiq; simus, necesse est. pugnamus enim cum iis, quæ naturæ necessitas postulat: æmulamur instituto angelorum: eum tenemus cursum, quem mentes tenent incorporeæ: terra, & cinis ad cælũ contendunt, & sese cælitibus æquare studeant, & mortalitas in certamen cum immortalitate descendit. Et, quæso, tanta cum re quisquam nuptias, aut voluptatẽ comparare audeat? non ne id erit perabsurdum? quæ cum omnia Paulus intelligeret, Vnusquisq;, inquit, suam vxorem habeat. idcirco refugiebat, idcirco non audebat apud ipsos initio de virginitate differere, sed commoratus in cõmemoratione nuptiarum, paulatim eos studebat à coniugio reuocare: ac cum breuiter quædam de continentia dixisset, ea nimirum pauca longiori illi de cõnubio orationi permiscuit: neq; Corinthiorũ

1. Cor. 7.

aures

aures grauitate admonitionis offendi passus est. qui enim seueriorib. sensibus vsquequaque texit orationem; cum molestus est auditori, tum eius animum sæpenumero vehementer perturbari cogit, vt qui dictorum grauitatẽ minime perferat: qui vero sic eam variat, & temperat, vt grauibus rebus faciliora plura, quàm molesta illa sint, commisceat; is et rei seueritatem subtrahit; & reficiẽs auditorem, ita persuadet, magis, magisque cõciliat. quod quidem etiam diuus Paulus effecit. cum enim dixisset, Bonum esse homini mulierem non tangere, statim ad nuptias retulit orationem, cũ inquit, Vnusquisq; suam vxorem habeat, quod vbi in beatitudinis loco posuisset, omisit: Bonum, enim ait, est homini mulierem non tangere. de nuptiis vero & consilium dat, & statuit, & rei præterea rationem adiungit: nam, Propter forni-

cationem, inquit. in quo videtur quidem rationem afferre, quamobrem sint conceſſæ nuptiæ; ſed re uera expoſitis coniugij cauſis continentiam clam laudando extollit, non id quidem verbis aperiens, ſed auditori cogitandum relinquens. auditor enī vbi coniugiū à Paulo laudari intelligit, nō quia perfectæ virtutis opus ſit, ſed quòd in ipſo auditore Paulus eam nouit ineſſe libidinē, vt ſine nuptiis ſe in ipſa libidine continere nō poſſit, pudore quodā & rubore ſuffuſus, operam dat, vt continuo virginitatē colat, & ſummam intemperantiæ vitet infamiam. Quid vero præterea inquit? Vxori vir debitū reddat, ſimiliter & vxor viro. quod deinde cum interpretaretur, & explanaret apertius, adiungit, Mulier ſui corporis poteſtatem nō habet, ſed vir; ſimiliter vir ſui corporis poteſtatem non habet, ſed mulier. quæ cū de nuptiis videatur

XXVIII. *Quæ de connubio dicuntur cohortationes eſſe ad virginitatem.*

videatur dicere, re tamen uera tanquam hamum vsitata piscator esca circumuestiens, sic ipse in audiẽtium aures inserit orationem, eo consilio, vt illo ipso sermone de nuptiis eosdem à nuptiis deterreat. nam qui illud audit, se per cõiugiũ non in sua, sed in vxoris esse potestate, confestim operam dabit, vt ab acerbissima seruitute liberetur, vel potius id primũ cauebit, ne ipsum subeat iugũ seruitutis. vbi enim semel se potestati subiecerit, quã diu ipsi uxori videatur, ei est necessario seruiendũ. me vero non temere hoc ex Pauli sentẽtia cõiicere, ex discipulis Iesu facile intelligi potest. nã neque illi graue, aut molestũ cõiugiũ pri⁹ existimauerũt, q̃ à Dño audiuerũt se in eadẽ necessitate cõclusos, in quã aliquãdo Corinthios etiam Paulus adduxit. illud enim, Qui dimiserit vxorẽ suã, excepta fornicationis causa, facit ipsã mæchari;

& hoc, Vir sui corporis potestatem non habet; sunt inter se quidem dissimilibus enunciata verbis, verum eandem habet ratio vtriusq; sententiam. Si quis autem Pauli verba diligentius consideret, tyrannidem magis augeri intelliget, ac seruitutem fieri grauiorem. siquidem Dominus viri potestatem esse non vult, vxorem domo expellendi; Paulus vero, proprij etiã corporis iure adempto, omnem ipsius principatum dat vxori: cuius imperio subiectum virum magis esse vult, quàm puerũ emptum pecunia. seruo enim, si quando comparata pecunia pretium, quãti emptus est, domino persoluere potuerit, plerunque libertatem omnino recuperare licet: at vir, quamuis omnium difficillimam nactus sit vxorem, seruitutem tamen perferre necesse habet; quippe qui nullam inire potest viã, qua solutus eiusmodi dominatu liberetur.

liberetur. Cum igitur illud dixisset, Mulier sui corporis potestatem non habet, adiecit, Nolite fraudare vos inuicem, nisi forte ex consensu ad tempus, vt vacetis orationi,& ieiunio; & rursum reuertimini in id ipsum. Equidem in tanta Pauli indulgentia plerosq; eorum,qui virginitatem ẽ medio tollũt, hic erubescere,& pudere existimo. Sed ne vereamini, ne ue stulte vos abiiciatis. sic enĩ loquitur Paulus, vt iis, qui cõnubio iuncti sunt, indulgere videatur; verũ si quis ea accuratius animaduerterit, vnam & eandẽ atq; superiorẽ verborum sententiã esse videat. Quòd si quis propositam remouens causam, simpliciter hæc interpretari voluerit, nõ tam illa Apostoli, quàm connubiorum cõciliatricis cuiuspiam verba videantur. sin vero eius mentẽ explicarit, is hanc etiam admonitionem apostolicam dignitatem ha-

XXIX. *Illud, Nolite fraudare inter vos, eo dictum esse, vt ad virginitatẽ adduceret.*

bere intelliget. Verum quid longiorem hunc ipsum facit sermonem? nõne satis illud fuerat, cum superiori oratione rei grauitas esset exposita, finem admonendi facere? Quid enĩ habet amplius hoc, Nolite fraudare vos inuicem, nisi forte ex consensu ad tempus, quàm illud, Vxori vir debitum reddat, & vir proprij corporis potestatẽ non habet? nihil sane amplius: nisi quòd illic breuius, & obscurius significatũ erat, hic & pluribus verbis, & planius est explicatum. quod nimirum facit Samuelem illum, sanctum Dei virũ, imitatus. quemadmodũ enim is quàm potuit subtilissime apud imperitam multitudinẽ regni leges exposuit, non vt Regem reciperent, sed ne reciperent, quippe qui rei præceptionẽ tradere videatur, cum vere quandam ipsius oratio intempestiuæ eorum hominũ cupiditatis dissuasionẽ habeat: sic Paulus

lus etiam cõnubij tyrannidem continẽter inculcat, atq; eo ipso sermone planius illos inde reuocare studet. cũ enim dixisset, Mulier proprij corporis potestatẽ non habet, adiunxit, Nolite fraudare vos inuicẽ, nisi forte ex cõsensu ad tempus, vt vacetis ieiunio, & orationi. Vides quo modo eos, qui cõiugio essent cõiuncti, vt nullã eius oratio suspitionem, aut molestiã haberet, ad cultũ continẽtiæ perduxerit? Ab initio rem omnino cõdẽnauit: Bonum, enim inquit, est homini, mulierẽ non tangere. In hoc vero admonitionẽ etiã adhibuit, cum inquit, Nolite fraudare vos inuicẽ, nisi forte ex cõsẽsu. sed quid est, quamobrẽ, quod statuere volebat, id tanquã monitũ introduxit, nõ in iussi formulã redegit? nõ enim dixit, Fraudate inter vos, verũ ex communi voluntate, vt vacetis orationi: sed, Nolite fraudare vos inuicem,

nisi

nisi forte ex consensu ad tempus: quòd hæc est lenior oratio, quæ doctoris mentem, et sententiam declarans, minime id acerbius exigit, quòd ita summa Corinthiorum gratia persoluitur. Quamobrẽ fit, vt non solum auditorem consoletur, sed etiam breuitate orationis rei tristitiã comprimat, & ante ad iucundiora transeat, in illisq; diutius hæreat, & commoretur, quàm ad auditorem molestia perueniat. Illud etiam quærendum est, cum honorabile sit cõnubium, & thorus immaculatus, quamobrem illi nullũ in ieiunio, & oratione locum relinquat: quod perabsurdum esset Iudęis, quorũ ad corpus omnia pertinebãt; quibus etiam duas in matrimonio habere concessum erat, &, illis ipsis dimissis vxoribus, alias earum loco ducere, tantum eiusce rei rationem habentibus, vt per id tempus, cũ loquentem Deũ audituri essent, ne legitimo

XXX. *Cum sit honestum connubium, quid sit quòd Paulus in ieiunio moneat de abstinentia concubitus.*

timo quidem vterentur concubitu; idq; non vnum, aut alterum, sed complures dies efficerent: nos tanto diuinæ gratiæ beneficio affectos, Spiritu sancto afflatos, qui domitas habemus libidines, qui vna cũ Christo sepulti, qui Dei adoptione dignati sumus, nos ad tam excelsum dignitatis gradum elatos, tot deniq; tãtisq; ornatos muneribus, ne infirmorũ quidem illorum hominum studium asse qui non posse? quod si quis illud etiam quærere persistat, cur Moises ipse Iudæos ab eiusmodi cõiunctione remouerit, ei ego ita respondeam, honestũ quidem esse coniugiũ, sed eatenus, vt cõiuges ea se cõiunctione nõ inquinent: vt vero etiam sanctitatem assequantur, uirginitatem id efficere, nõ cõnubij vim. verum vt id non solum Moisen, Paulumq; monuisse existimes, audi quæ à Iohele dicantur: Sanctificate ieiunium, vocate *Iohel. 2.*

cœtum, congregate populum, coadunate senes. Sed quæris fortasse, vbinam ab vxore abstinẽdum iusserit? Egrediatur, inquit, sponsus de cubili suo, & sponsa de thalamo suo. hoc enim est Moisis etiam præcepto maius. nam si eos, qui cõnubio iuncti sunt, feruentes libidine, florentes ætate, cupiditate effrẽnatos, in ieiunio, & oratione seiũgi oportet: quãto ceteros magis, quibus tantam vim nõ affert necessitas cõiunctionis? qui enim, vt debet, sacris precationibus operã dat, & ieiunium adhibet, hunc omnem cupiditatem, omnẽ terrenarũ rerum curã, omnem mentis perturbationem abiicere, præclareq; vndiq; comparatũ sic ad Deum adire oportet. Ob id etiam ieiunium bonum est, quòd omnem circũcidit animi solicitudinem; & eam, quæ circa mentem effunditur, curam humiliũ, abiectarumq; rerum contrahens facit

vt

vt tota in se ratio ipsa vertatur. quod cum Paulus attigisset, subobscura significatione nos à cõcubitu auocauit; sermoneq; admodum proprio vsus est: non enim dixit, ne inquinemini, sed, Vt vacetis ieiunio, et orationi: quòd coniunctio cum vxore non illa quidem ad impuritatem adducit, sed implicat negotiis, & occupationibus. Cum autẽ nobis, hoc adeo tuto, & munito loco collocatis, in ipso tempore orationis diabolus tamen aliquod impedimẽtum conetur inferre: quid nõ molietur mentis oculis hic, et illic libidine incensis, si dissoluta, dissipataq; anima nos esse compererit, et muliebris coniunctionis cupiditate languentes? quod ne accidat; neq;, quo potissimũ tẽpore Deũ nobis studemus placare, eo ipso per inanem orationem in nos reddamus offensiorẽ; tũ iubet à thalamo secedere. Si enim ij, q ad Reges adeũt,

XXXI. *Qui precationibus rite operam dare velint, eos necessario Paulum à concubitu auocasse.*

XXXII. *Si segniter Deum precemur, non modo nõ placare, sed etiam irritare.*

Reges autẽ? immo vero si ad minimos magistratus, si serui ad dominos accedẽtes, vel vt de illata sibi ab aliquo iniuria conquerantur, vel egentes ab eisdem vt aliquid auferant, vel omnino sibi vt iratos lenire studeant, ita congrediuntur, vt & oculos, & mentem omnem ad eos conuertant: qui si etiam paulo remissiores fuerint, tantum abest, vt, quod illis opus est, assequantur, vt etiam, malo aliquo accepto, inde digrediantur: quòd si illi hominum animos sedare cupientes, tantum adhibent cõtentionis: quid miseris nobis fiet, qui ad cõmunem omnium Dominum, ac Deum ita remisse dissoluteq; accedimus? præsertim cũ ea cõmiserimus, quibus multo magis nobis Deus irasci, quàm illis domini succensere debeant. neq; enim tam dominũ seruus, neq; tam Regem is, qui in eius potestate sit, irritare potest, quàm Deum

Matth. 17.

in

in dies singulos irritamus ipsi: quod eo Christus declarauit, cum peccatum in proximos centum denarios appellauit; delicta vero in Deum adimus, vt tantam eius in nos iram precibus extinguamus, & eundem nobis conciliemus, quem quotidie oppugnamus, iure nos ab illa auocat voluptate, quasi sic agat nobiscum; Hic mihi, carissimi homines, animæ salus agitur: versamur in extremis discriminibus: trementes, timidiq;, ac demisso, atq; humili animo simus, oportet: nam accedimus ad Dominum formidolosum, & qui multis lacessitus iniuriis magna habet, quę nobis succenseat: nō complexibus, aut uoluptatibus impertiendū est hoc tempus, sed lacrymis, acerbissimis gemitibus, abiectione corporis ad terram, diligenti confessione, cōtinētibus precationibus, multisq; supplicationibus consumēdum. quòd si

quis vel ſummo illo ſtudio iratum Deũ placare potuerit; valde magnum ſane is effecerit; non quòd durus ſit Dominus noſter, aut inhumanus, quippe cuius eſt tanta lenitas, & humanitas; ſed quòd nõ patitur incredibilis magnitudo ſcelerũ, ne in illa quidẽ bonitate, facilitate, ſummaq́; miſericordia Deum facile nobis ignoſcere. propterea inquit, Vt vacetis ieiunio, & orationi. quid igitur hac ſeruitute acerbius eſſe poteſt? volo progredi in virtute: volo cõtinentis ieiunij, & orationis patientia, omnibus elutis animi ſordibus, ad cælũ euolare. quòd ſi illa huic ſententiæ aſſentiri nõ vult, tum demum eius libidini cogor inſeruire. quapropter Paulus à primo dixit, Bonũ eſt homini mulierem non tangere. quare Dominum etiam diſcipuli ſic allocuti ſunt: Si ita eſt cauſa homini cum vxore, expedit non nubere. ſic enim ratiocinabantur,

bãtur, alterutri parti iniuriã fieri neceſſe eſſe: atq; illis anxij cogitationibus hanc vocẽ emiſerũt. Quamobrẽ Paul' etiã id ipſum inculcat aſsidue, vt Corinthios in eam inducat cogitationem; Vnuſquiſq; ſuam vxorẽ habeat: &, Vxori vir debitum reddat: &, Mulier proprij corporis poteſtatẽ non habet: &, Nolite fraudare vos inuicẽ: &, In id ipſum reuertimini. Neq; vero etiam beatis illis viris, vt primum id audierunt, ita eſſe perſuaſum eſt; ſed, cum ea de re iterum accepiſſent, tum, quantam iuſſum poſsideret neceſsitatem, intellexerũt. etenim cũ Chriſtus ipſe ſediſſet in mõte, de eo diſſeruit: cũq; multũ aliis de rebus ſermonẽ habuiſſet, rurſum eis amorẽ iniecit cõtinentiæ: nã frequentata eadẽ de re oratio ad perſuadendum plus habet efficacitatis. itaque Chriſti diſcipulus, magiſtri exẽplo eandẽ rem ſæpius iterat, nuſquã autẽ illis, vt

XXXIII. *Eorũdem repetitionẽ Chriſti imitationẽ eſſe.*

1. *Cor. 7.*

connubio

connubio iungantur omnino, sed cum causa cõcedit: nam, Propter fornicationes, propter satanicos, inquit, impulsus, propter incontinentiam. atque ita in eo sermone de nuptiis occultius, quàm vt quisquam id eum agere suspicetur, virginitatis laudes persequitur. Quòd si eos, qui matrimonio iuncti sunt, Paulus inde ad multũ tempus remouere dubitat, ne quem aditũ nactus eà se quasi per cuniculum diabolus insinuet: quæ illis coronæ debẽtur, quę nullius eiusmodi ab initio solatij eguerunt? quæ ad extremum inuictæ permanserunt? quanquam non æque ad vtrasq; diaboli machinæ adhibentur. his enim ne molestum quidẽ esse arbitror, quippe quas proximum refugium habere intelligat: quibus etiam, si vehementiorẽ aliquem appulsum senserint, statim in portum confugere liçet. nam neque diuus Paulus permittit ipsis,

XXXIIII. *Virginitatem rem esse admirabilem, & multis coronis dignam.*

vt

vt longius nauigent; verum admonet, vbi defeſsi fuerint, vti cõgrediantur, &, vt ad id iterum redeant, cohortatur. At virgo fluctibus omninò iactari cogitur, & mari nauigare minime portuoſo: quòd ſi grauiſsima tẽpeſtas coorta fuerit, ne ſic quidem naui in portũ deducta quieſcere poteſt. vt igitur, qui piraticam faciunt, nunquam ad oppida aut in naualibus, aut portubus, quòd ita ſine cauſa diſcrimini ſeſe offerrent, nauigantes adoriuntur; verum, ſi in alto nauem offenderint, eius ſolitudinẽ audaciæ occaſionem habentes, omnia mouent, omnia verſant; neque prius ea conari deſiſtũt, q̃ vt vectores ſubmerſerint, aut eo ab illis ipſi mali affecti fuerint: ſic acer iſte pirata magnam in virginem tempeſtatem, difficilemq; iactationem, ac procellas intolerabiles commouet, infima ſumma miſcens, vt & vi, & impetu

nauem euertat: audiuit enim, virginem facultatem non habere ad idem redeundi, ſed illi contra ſpiritus nequitiæ luctari aſsidue, et cõtinenter pugnare neceſſe eſſe, donec ex illa nauigatione in tranquillum portũ perueniat. tanquã enim forti militi, mœnibus excluſo, ſic Paulus virgini, vel ſi acrius inſtet hoſtis, vel ſi etiam hoc ipſo vehementior ſit, quòd nullam habeat aduerſarius poteſtatem faciendi indutias, portas prohibet aperiri. neq; vero diabolus virgines modo magis exercet, quàm eos, qui cõnubio iuncti ſunt, ſed ipſis etiam vehemẽtior ineſt impetus libidinis. quod quidem omnib. omnino perſpicuũ eſt. nam quibus frui poſſumus arbitratu noſtro, ea non facile appetimus: quòd facultas, quam habemus, percipiendi illa, negligẽtiam animo nobis ingenerat. quod nimirum teſtatur prouerbiũ vulgare illud quidem,

ſed

sed tamẽ veriſsimum, Quæ in promptu ſunt, eorum nos eſſe non admodum appetentes. contra autem fit, ſi quãdo priuamur iis, quæ antea poſſedimus: quæ enim propter copiam cõtemnimus, vbi non ſunt in poteſtate noſtra, maior eorum nobis cupiditas innaſcitur. Quamobrem primũ tranquilliori loco ſunt cõiuges: tum, ſi quando in illis excitatur ardor libidinis, concubitu facile ſedatur. virgo autem nõ habens vnde ignem reſtinguat, flammam quidem excitatã, & in altum ſublatam videt, ſed eam extinguere nõ poteſt: tantum vero relinquitur, vt igni reſiſtens non vratur. quid igitur eſt admirabilius, q̃ vniuerſum geſtare in animo rogũ ardẽtẽ, neq; comburi? q̃ flãmam in intimis animæ partib. verſari, & integrã permanere rationẽ? nemo enim illi dat hãc veniã, vt libidini parẽs eiuſmodi carbones effuſos extiguat.

verum quod scriptor prouerbiorum fieri non posse dicit in corpore, id ipsum anima virgo cogitur sustinere. quid igitur inquit ille? Nunquid potest homo ambulare super prunas, vt non comburantur plantę eius? ecce ambulat ipsa, & perfert cruciatū. Nunquid potest quisquam abscondere ignem in sinu, vt vestimenta eius non ardeant? at hæc ipsa non vestibus, sed intus ignem continens furentem, & crepitantem flāmam perfert, & sustinet. Etiam ne, quæso, nuptias quisquam cum virginitate conferre, vel omnino in eius cōspectu ponere audeat? at non id permittit diuus Paulus, qui magnum inter vtrunq; ponit interuallum: hæc enim, inquit, cogitat, quæ Domini sunt: illa autē cogitat, quæ sunt mundi. itaq; iis, qui cōnubio iuncti sunt, eodem compulsis, & ita obsecutus, audi quo modo iterum eos accuset. Ad id enim,

Prou. 7.

nim,inquit,reuertimini, ne tẽtet vos satanas. ac cum vellet ostẽdere,nequaquã totũ id illius tentationi tribuendum esse, sed maiorem partem in nostra desidia residere, rei causam admodum propriam attulit,cum,Propter vestram,inquit,incontinentiam. quis igitur hæc audiens non erubescat? quis incõtinẽtiæ vituperationem non studeat effugere? neq; enim ad omnes hæc pertinet admonitio, sed ad illos tantum, qui sunt ad libidinem procliuiores. nam, Si vsq; eò seruus es,inquit,voluptatũ,vsq; eò mollis,vt semper inhies libidini;corpus cum vxore cõmisce. itaq; non laudãtis, neq; permittentis ista, sed contemnentis est, & improbantis oratio. nisi enim voluptarios homines vehemẽter carpere voluisset, nunquam eam incõtinẽtiæ vocem adhibuisset, quæ cũ maxime significat,tum magnam notat infamiam. cur

enim non dixit, Propter imbecillitatem vestram? quòd in ea voce venia magis inesset: verbum autem incontinentiæ summam arguit ignauiam: nam incontinentis hominis est, adulterio se abstinere non posse, nisi assidua coniugis cõsuetudine fruatur. Quid igitur hoc loco afferant, qui virginitatem superuacaneam censent? nam quo magis ea, diutiusque seruatur, eo maiorem habet laudem: coniugio vero cum quis ad satietatem abutitur, tum maxime omni laude priuatur. Hoc autem, inquit, dico secundum indulgentiam. at cui indulgentia tribuitur, nullus ipsi ea in re locus ad laudem relinquitur. De virginibus autem cum differeret, Præceptũ, inquit, Domini non habeo, consilium autem do. An igitur coniugium propterea virginitati confert? minime is quidem: nam de virgine consilium dat,

hic

hic tribuit indulgentiam; neutrum certe iubet; neque eadem est vtriusque rei causa; verum hic, ne, si quis ex intemperantia emergere voluerit, tanquam iusso coactus, necessario id facere prohibeatur; illic, ne, si virginitatis laudem assequi nequeat, rerum, quæ facultatem non habeant, quasi præcepto non paruerit, condemnetur. Non iubeo, inquit, virginitatem colere: nam rei vereor difficultatem. non iubeo assidue rem habere cum vxore: nolo enim legis intemperantiæ lator esse. cum, vt inter se conueniant, dico; veto quidem in inferiorem locum descendere, cupiditatem perueniendi altius non impedio. non igitur hæc est principalis Pauli voluntas, vt cum vxore consuetudinem assidue habeamus; verum hoc statuit propter ignauiam intemperantiorum. quòd si eius sententiam nosse vis,

audi

audi quę dicat ipse. Volo, inquit, omnes homines, sicut me ipsum, continentes esse. Si igitur vis, omnes vti se contineant; neminem vis iungi coniugio. At enim eos qui cõnubio iũgi volunt, neq; propterea prohibeo, nec accuso: omnes tamẽ oro, & exopto ab omnibus, vti similes mei sint. concedo illis cõnubium propter fornicationes: quòd vero illud mihi optatius est, propterea dixi initio, Bonum esse homini mulierem non tangere. Quid autem hoc loco sui mentionem facit, cũ, Omnes homines, inquit, volo esse, sicut me ipsum? nam nisi hoc adiecisset, sui mentionem euitasset. quid igitur addidit, Sicut me ipsum? non eo quidem consilio, vt se ipse extolleret. is enim est, qui cũ Apostolos in prædicatione euãgelica labore præstitisset, se tamen Apostoli nomine indignum iudicauit. nam cum se minimum esse Apostolorum

XXXV. *Apostolum ad exemplum cõtinentiæ se ipsum interposuisse.*

ſtolorum dixiſſet, tanquam aliquid magnificentius locutus, quàm ſuæ eſſet dignitatis, eo ſtatim ſe ipſe correxit, Qui non ſum dignus vocari Apoſtolus. 1. Cor. 15.
Sed quamobrem hoc loco id ipſum ad cohortationem adhibuit? non temere id quidem, aut ſine cauſa, ſed quòd intelligeret diſcipulos ad virtutis ſtudiũ magiſtri exemplo maxime incitari oportere. vt enim, qui verbis, non re philoſophatur, haud magnam vtilitatem affert auditori: ſic qui quod alteri faciendum cenſet, id ſi à ſe prius recte factũ probare poteſt, is ita omnium maxime audientẽ in ſuam adducit ſententiã: deinde ab inuidia ſe, atq; animi elatione vacuum eſſe oſtendit. quod enim proprium ſuum eſt, id cũ diſcipulis cõmunicat, ac nihilo plus ſibi aſſumit, quàm illis tribuat, ſed eos omnibus rebus ſibi æquales eſſe vult. Poſſum & tertiã eius rei cauſam afferre:

quamnam? quòd, cum id factu difficile, atq; eiusmodi videretur, vt nō quiuis illud assequi posset; cumq; eam ipse rem magnam habere facultatem vellet ostēdere; eum, qui id opus absoluisset, in medio posuerit, idque, ne multi laboris rem existimarent, quinimmo ducē intuētes fidenter ipsi etiam eandem viam inirēt: quod & alio loco facit ad Galatas scribens, et eis timorē legis eripere studens: quamobrem ipsi ad veterem consuetudinē moremq; deducti multa legis præ-
Gal. 4. cepta seruabāt. quid igitur inquit? Estote, sicut ego: quia ego, sicut vos. quod in hanc sententiam dictum est. Neq; enim ita mecum agere poteritis. tu recens à gentibus rediisti, &, quid ob legem non seruatam timēdum sit, ignoras: propterea impune in his omnibus nobiscū philosopharis. etenim vt vos, inquit, hanc ego olim seruitutem seruiui: ego legi astrictus

ſtrictus fui: ego præcepta obſeruaui: verum, vbi gratię lumen eluxit, totum me ab illa lege ad hanc gratiam contuli. nec tamen id eſt cõtra legis præcepta, quòd in alterius viri poteſtatẽ venimus. quãobrem nemo illud de me poterit dicere, quòd aliud faciens ipſe, ad aliud reliquos cohortor: neque quòd id cogitem, quo modo me in tuto collocans, vos in diſcrimen adducam: nam ſi res periculoſa eſſet, nunquam me ipſe prodidiſſem, nunquam ſalutis meæ curam neglexiſſem. Quemadmodũ igitur Galatis, ſuo propoſito exemplo, metum eripuit: ſic hoc loco, ſe in medio poſito, ſolicitudine Corinthios liberat. Sed vnuſquiſq;, inquit, propriũ habet donum, alius autem ſic, alius verò ſic. Vide ſignum apoſtolicæ ſummiſsionis nuſquam deperditum, ſed vbique maxime elucens. quæ enim ipſe recte fecit, Dei gratiam nominat: quem

XXXVI. 1. Cor. 7. *Virginitatem modeſtiæ cauſa ab Apoſtolo donum appellari.*

ipſe multum effudit ſudorē, omnē Domino tribuit. ſed quid mirū eſt, eum ita de ſua loqui continentia, cum de prędicatione differēs, cuius cauſa innumerabiles labores, aſsiduas ſolicitudines, incredibiles ærumnas, quotidianas mortes perpeſſus fuerat, eadem ratione procedat? Quid igitur de ea inquit? Abundantius omnibus elaboraui, non ego autem, ſed gratia Dei mecum. non enim partem ſibi ſumit, partem Deo dat, ſed totum illi tribuit: quod grati ſerui eſt argumentū, nihil ſuum putare, ſed omnia domini; nihil proprium ducere, ſed omnia domini. id quod & alio loco facit. cū enim dixiſſet, Habentes donationes ſecundum gratiā, quæ data eſt nobis, differentes, progrediens oratione præfecturas, eleemoſinas, cōmunicationem bonorum numerauit in donis. Hæc autem recte facta eſſe, non dona, plane perſpi-

1. Cor. 15.

Rom. 12.

cuum

cuũ est: quæ sane dixi, vt, cum illud acce peris ab eo, Vnusquisq; proprium donũ habet, ne concidas animo, ne ue sic tecũ loquaris: nihil mihi ad hanc rem labore, aut studio meo opus est: donum enim eam Paulus vocauit. neque enim ita dixit, quòd continentiam in numerũ cælestium munerum vellet referre, sed modestię causa donum appellauit. nõ enim adeo & à se ipse, & à Christo dissentiret, cuius illud est, Sunt eunuchi, qui se ipsos castrauerunt propter regnum cęlorum: & illud, Qui potest capere, capiat. Sibi certe, iis condemnatis, quæ, cum viduitatem elegissent, non manserunt in sententia, minus ipse constaret. nam si donum id est, quid ipsis eo minaris? Habẽtes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt. nusquã enim Christus in eos animaduertit, qui dona nõ habuerunt; at illos semper pœna afficit, qui 1. Timoth. 5.

honeſte vitam non agunt. Atque illud, quod ab ipſo maxime quæritur, optima vitæ ratio eſt, & actiones eiuſmodi, quæ nullam habeant anſam reprehenſionis: partes vero facere diuinorum munerũ, eaq; diſtribuere, non accipientis eſt optio, ſed dantis iudiciũ. quamobrẽ Chriſtus nuſquã eos laudat, qui miracula faciunt; quin etiam diſcipulos propter id ipſum lętitia elatos illis verbis ab eiuſmodi animi voluptate deterret; Nolite gaudere, quòd ſpiritus vobis ſubiiciuntur: qui enim beati dicũtur, ij ſunt miſericordes, humiles, mites, mundi corde, pacifici, quiq; & hæc omnia, & horum ſimilia efficiunt. atq; ipſe quidẽ Paulus, enumeratis iis, quę recte feciſſet, in illis commemorauit de ſua continentia. In multa enim, inquit, patientia, in tribulationib. in neceſsitatibus, in anguſtiis, in plagis, in carceribus, in ſeditionibus, in laboribus,

Luc. 10

2. Cor. 6.

bus, in vigiliis, in ieiuniis; quibus adiecit, in castitate; cuius, si donum res esset, non meminisset: quid enim eos accusat, qui castitatem non colunt, quippe quos intemperãtes appellat? quid etiam eum rectius facere dicit, qui nuptum non det virginem? quam deniq; ob causam beatior est vidua, si in voluntate non nubẽdi perstiterit? quòd, vt iam diximus, nõ miraculis, sed honestis actionibus tribuuntur beatitudines, quemadmodũ nec cessationi, sed prauis actibus supplicia proponũtur. Sed quid opus fuit in eiusdem rei admonitione permanere, si nostri illa non sit arbitrij, si, præter diuinæ gratię momenta, non etiã opera, ac studium nostrum nobis sint ad eius facultatem necessaria? cum enim dixisset, Volo oẽs homines, sicut ego sum, cõtinẽtes esse; rursus inquit, Dico autem non nuptis, & viduis: bonum est ipsis, si sic permanserint,

manserint, sicut & ego: se iterum interponit propter eandem causam. quòd enim ipsi propinquũ, et domesticũ exemplum haberẽt, virginitatis laboribus fortius occurrerẽt. nam etsi supra dixerat, Volo omnes homines esse, sicut me ipsum; et hic etiam dicat, Bonum est ipsis, si sic permanserint, sicut & ego; nusquã vero rei causam afferat: nihil tamen est, quòd mireris: neq; enim id superbia facit, sed quòd satis rem probari existimat sua sententia, qua fretus ipse munus illud absoluerat. Quòd si quis etiam rationes cognoscere voluerit; primum hominũ exquirat sententias; deinde, quæ rei accidãt, animaduertat. quanquã enim legumlatores eiusmodi nuptiarũ pœnam non constituant, sed eas concedant, atq; permittant: tamẽ in homines secundarum nuptiarũ multa à multis, & domi, & in foro maledicta, probra, conuiciaq; iactantur.

XXXVII. *Multas inesse molestias in secundis nuptijs.*

iactãtur. oẽs enim aditu,& cõgreſsione indignos eos exiſtimantes,non ſecus, q̃ qui iuſiurandũ violant, abhorrent; neq; cum illis fere amicitiam inſtituere, aut fœdus facere, neq; omnino quicquã ipſis credere audent. videntes enim eos tantæ conſuetudinis,neceſsitudinis,cõiunctionis,ſocietatis memoriã tam facile ex animo eiicere, ea in cogitatione quaſi quodam torpore perfuſi, minime fidenter eos in conſuetudinem recipiũt, ſed à leuibus atq; inconſtantibus hominibus refugiunt: neq; vero ſolum propter eam cauſam,quã diximus,ſe ab illis auertunt, ſed eorum, quæ ab ipſis fiunt, faſtidio,& offenſione. Quid enim,quęſo,turpius eſſe poteſt poſt maximos luctus, gemitus, & lacrymas, poſt diuturnum capitis ſqualorem, pullæque ſtolæ ſordes,quàm repẽtini plauſus,quàm nuptiales thalami,quàm ſonitus priori contrarius:

trarius: quæ similia sunt lusibus histrionum, qui modo hi, modo illi fiũt. eundẽ enim hominem videas in scæna interdũ Regem, interdum aliquem agere omnium egentissimum. talis hic etiam: qui cũ nuper ad sepulcrum volutaretur, fit repente sponsus; qui, quo ex capite capillos euellebat, rursum in eo coronam gestat; qui, cum mæstus & mærens, multisq; sæpe cum lacrymis ad eos conuersus, qui se consolarentur, mortuam laudasset, sibiq; vitam acerbam propterea esse dixisset; & illis succensëret, qui eundem se à luctu abducerent; frequens inter illos ipsos comptus iterum, & ornatus apparet; qui ridentibus oculis eos ipsos intuetur, quos iisdem lacrymantibus prius aspexerat, & eo ore amice accipit, & salutat omnes, quo cuncta hæc ante repudiabat. Miserrimum autẽ est omniũ, bellũ ad pernicië liberorũ, leęna

contuber-

contubernalis filiarũ. eiuſmodi enim eſt omnino nouerca. hinc quotidiana ſeditio,& pugna; hinc inopinata illa, & noua obtrectatio eius, quæ nulla lædit iniuria. viui enim inter ſe odia exercent, mortuis vel hoſtes reconciliãtur. at nullus apud hanc eſt odij, aut inuidiæ finis: ſed ab eadẽ pulueri, & cineri obtrectatur: incredibiles ſimultates: cum humata geruntur, iurgia, maledicta, crimina in eam, q̃ in terrã diſſoluta eſt, iaciũtur: cũ ea, q̃ nihil nocuit, ſempiternæ exercẽtur inimicitię. quid hac amẽtia,& crudelitate tetrius, aut flagitioſius eſſe poteſt? q̃ nullã à mortua accepit iniuriam: q̃d dico iniuriã? q̃ fructus capit illius laborũ, in cuius reb. luxurioſe viuit, nullũ finẽ facit pugnãdi cũ eius vmbra, q̃ nullã attulit moleſtiã; ac ſępius, quã ne vidit q̃dẽ, quotidie verberat cõuiciis innumerabilibus, à cuius liberis pœnas expetẽs

mortuam vlciſcitur. atq;, vbi nihil profi-
cit ipſa, ſæpenumero virum armat in il-
los ipſos. Sed tamen hæc omnia facilia
hominibus, tolerabiliaq; viſa ſunt, dum
ne libidinis tyrannidem perferre cogan
tur. At virgo in hac acie non æſtuauit,
neq; declinauit certamen, quod multis
videtur intolerabile, ſed fortiter inſiſtēs
naturę prœlia ſuſtinuit. Quis igitur vir-
ginem ſatis pro merito queat admirari;
cum alij, ne vrantur, ſecundarum nupti-
arum indigeant; ipſa autem, intacta ab
omnibus, perpetuo caſta, et integra per-
maneat? quamobrem etiam antequā de
his differat, propter ea præmia, quæ in
cælo viduitati collocata ſunt, ſic inquit,
is, qui in ſe Chriſtum loquentē habebat:
Bonum eſt ipſis, ſi ſic permāſerint, ſicut
& ego. Non potuiſti ad ſummum ver-
ticem aſcendere: at vide, ne ex iſto gra-
du in inferiorem locum, vbi illa eſt, deci

das;

das; tanto autẽ tibi præſtet virgo, quanto præclarius eſt eam ne ſemel quidem libidini ſuccubuiſſe, quàm, cum in te aliquãdo libido dominata ſit, perpetuo dominari non potuiſſe; quantoq; præſtantius eſt, illam integram, inuiolatamq; è pugna ſuperiorẽ diſcedere, quàm te, vna accepta plaga, inde victoriam reportare. omnino pugnæ exitu pares eſtis: at initio tantum illa ſuperauit. In eos autẽ, qui connubio iuncti ſunt, longe indulgentior eſt: qui ne altero quidem volente, illos ab ipſis diſtrahat; neq; diſiunctionem, quæ cõmuni vtriuſq; conſilio facta eſt, producit longius: quin etiã ipſis alteras, ſi modo id cupiunt, ne vrantur, cõcedit nuptias; iis autem, qui virginalem caſtitatẽm colũt, ne vnum quidem eiuſmodi ſolatiũ dedit: verum cum illis intermiſſam parumper rurſus remittat voluptatem, nullũ relinquit virgini re-

XXXVIII. *Quid ſit, quare iis, qui matrimonio iuncti ſint, magna ſolatia, virgini vero ne reſpirandi quidẽ à laboribus facultatem concedat.*

ſpirãdi locum, ſed eam vult perpetuo in prœlio verſari, & aſsiduis libidinũ aculeis vulnerari; neq;, vt ſe tantiſper relaxet, eidem permittit. ſed quamobrẽ illud etiam virgini non dixit, Si ſe non cõtinet, nubat: quod ne athletę quidem, cũ is, reiecto pallio, vnctus in certamen deſcendit, iamq; puluere aſperſus eſt, quiſquam dixerit, abſcede, fuge aduerſariũ: ſed illi alterutrũ neceſſe eſt euenire, vel vt victor corona donetur, vel vt humi ſtratus cum infamia diſcedat. nam in ludo, & palæſtra, quôd cum familiaribus homines exercentur, & cum amicis tanquam cum aduerſariis congrediuntur, ſuo quiſque arbitrio eum laborem ſuſcipit. cum vero deſcriptus frequentiſsimo theatro fuerit; atque is, qui ludos facit, adeſt; omnesq; ſpectatores cõſedere; ac productus aduerſarius illi ipſi opponitur: tum lege certaminis illo priuatur arbitrio.

bitrio. Virgini etiam, quàm diu deliberat, vtrum cõnubio iũgatur, an non, nuptiæ fraudi non sunt: vt vero virginitatem elegit, descriptaq; in certamen descendit; quis audeat, plaudente theatro, angelis è superiore loco spectantibus, Christo certaminis prefecto, diabolo furente, fremẽte etiam dẽtibus, herenteq; in lucta, ac medium occupante spatium, quis, inquam, in medium progressus sic cum illa agat, fuge hostem, cede labori, recede de pugna, ne sterne, ne ue supplãta, sed palmam defer aduersario? quid dico virgines? cũ viduis hac vti voce nemo audeat, sed potius pro huiusmodi sermone horribilem illam habeat orationem; Cum luxuriatę fuerint in Christo, & nubere voluerint, damnationẽ habebũt, quia primã fidẽ irritã fecerũt. Atq; idem ipse Paulus, Dico autem innuptis, et uiduis, Bonũ est illis, si sic permãserint sicut

1. Timoth. 5.

ſicut & ego: quòd ſi ſe non continent, nubant: & illud, Quòd ſi dormierit vir eius, libera eſt, cui autẽ vult, nubat, tantum in Domino. Sed quamobrem in eam, quam liberam dimiſerat, pœnam deinde conſtituit, &, quod in Domino eſſe inquit connubium, id quaſi cõtra legem conciliatum condemnat? ne verearis: non enim id de his ipſis, ſed de alteris vult intelligi nuptiis. vt enim, cũ dixit virginem, quia nupſerit, non peccare, de ea nõ eſt locutus, quæ coniugium renuntiarit, quippe quam deliquiſſe, & intolerabili ſcelere ſe aſtrinxiſſe perſpicuum eſt omnibus; ſed de illa, quæ expers adhuc nuptiarum, nihil dum ſtatutum habet, verum etiam nunc inter vtrunque ancipiti cogitandi cura diſtrahitur: ſic & viduã: hoc enim loco de ea omnino loquitur, cui, viro amiſſo, neq; dum deliberatum ſit nubere, & integrũ, vtrum

XXXIX. *Cui viduæ, cui ue virgini nubendi poteſtatem permittat.*

vtrũ malit, optare: illic vero eam significat, cui, cum iam in certamen continẽtiæ descenderit, nõ amplius liberum est nubere cũ aliquo: licet enim, quàm diu id non elegerit, viduam esse, neq; in viduarum ordinem referri: itaque inquit ipse, Vidua deligatur non minus sexaginta annorum. nam viduæ omnino, si voluerit, potestatem nubendi facit: at eam, quæ, coniuge mortuo, se in reliquũ tempus Deo castam fore professa sit, si postea nupserit, vehementer accusat, vt quæ pacta, quæ cum Deo fecerat, tanquam obtrita neglexerit. non his ergo, sed illis dixit, Si se non continent, nubant: melius est enim nubere, quàm vri. Vides, vt per se nuptias nusquam admiremur, sed propter incesta, atq; stupra, propter tentationes, propter incontinẽtiam? hæc quidem omnia supra scripsit. verum, quòd ipsos male verbis acceperat, rur-

1. Timoth. 5.

1. Cor. 7.

rat, rursus iucundiori vocabulo rem ipsam appellat, incendium, & ardorem nominans. ac ne id quidē, non lacesito auditore, præteritum voluit. non enim dixit, si quadā libidinis vi cogūtur, si trāsuersi aguntur, si nō possunt: nihil omnino posuit eiusmodi, quod aut vim allatā ostendat, aut venia dignum sit: verum quid is inquit? Si vero se non continēt, nubant. quod eorum voluntati tribuendum est, qui propter pigritiā nolūt elaborare. demōstrat enim ipsos rei facultatē habētes, ob id minus eam perficere, quòd laborem defugiunt: in quos tamē vel ita affectos neq; animaduertit, neq; his ipsis supplicia proponit, sed tantum laude priuatis, verborum reprehēsione vim vituperationis ostendit: nusquā vero meminit liberorum procreationis, q̄ quidem causa facit, vt connubiūm speciem habeat, & grauem causam honestatis;

ſtatis; ſed innati ardoris, intemperantię, ſtupri, & inceſti, ſatanicæq; tentationis. quare, ne quid tale committatur, concedit cõiugium. Quid ergo eſt? inquit: dummodo nobis perpetuę libidini, & luxurię parere liceat impune, quamuis reprehenſionem, ac vituperationem facile feremus. quid vero, vir optime, ſi ne voluptate quidẽ frui licet? Sed quo modo libidini, inquit, negas inſeruiendum eſſe, cum apud Paulum ita ſit, Si ſe non continent, nubant? Tu vero audi, q̃ prętereа ſequãtur. accepiſti ne, quemadmodũ præſtet nubere, quàm vri? probaſti, quod iucundum eſt: conceſſam rem laudaſti. Apoſtolum propter indulgentiam es admiratus? at iſtic ne conſtiteris, ſed perge legere, quæ ſequuntur. eiuſdem enim Apoſtoli eſt vtrunque conſilium. quid igitur prętereа inquit Apoſtolus? Iis autẽ, qui matrimonio iuncti

sunt, præcipio non ego, sed Dominus, vxorem à viro non discedere: quòd si discesserit, manere innuptã, aut viro suo recõciliari; & vir vxorem ne dimittat.

XL. *Magnam esse ex cõiugio seruitutem, neq; posse vitari.*

Quid autem, si vir moderatus est, vxor vero nequã, maledica, loquax, &, quod cõmune est mulierum vitium, sumptuosa, multisque aliis imbuta vitiis fuerit? quo modo miser ille quotidianam hanc molestiam, superbiam, & impudentiã, perferet? quid, si contra acciderit, probam illam, & mitem esse, virum autem ferocem, insolentem, iracundum, pecunia etiam, potẽtiaq; admodum elatum, & inflatum, qui liberam habeat pro ancilla, nihiloq; melius in eam, quàm in famulas sit animatus? quonam pacto eiusmodi necessitatẽ, vimq; tolerabit? quid denique, si vir ab vxore continenter auersus, perpetuo abhorreat? Perferat, inquit, omnem istam seruitutem: tantũ enim

enim illa sui iuris futura est, cum is è vita migrarit: nam, quàm diu vixerit, alterutrũ necesse est, vel vt eum magno studio regat, ac moderetur, melioremque faciat, vel bellum minime denuntiatũ, perpetuumq; prœlium fortiter sustineat. Ac supra quidẽ dixerat, Nolite fraudare vos inuicem, nisi forte ex cõsensu: hic vero disiunctam ipsam à viro vel inuitam se continere iubet: Maneat, inquit, innupta, aut viro recõcilietur. Vides ne ipsam mediam inter duo prœlia, vt vel libidinis vim ferre, vel, si id noluerit, ei, à quo afficitur iniuriis, assentari, & omnino pro eius arbitrio, siue is verberibus, siue cõuitiis vexare, siue ludibrio, et despectui seruorum subiicere, siue huiusmodi quippiam committere voluerit, (multas enim viri vias reperiũt, cum volunt, inferendæ vxoribus iniuriæ) in omnibus patiens esse necesse habeat?

quòd si illa non tulerit, cõtinentiam colat, oportet, inutilem, inutilem, inquã, quòd eo non nititur fundamento, quo deberet. nõ enim id sanctitatis studio facit, sed ira in coniugem incitata. Maneat, inquit, innupta, aut viro recõcilietur. Sed quid inquit, si nũquam cum viro in gratiam redire voluerit? habes illud alterum, quo te inde expedire possis: quidnam id est? Expecta, dũ is tibi decedat. nam, quemadmodum virgini, viuo eius viro, (immortalis autem is est) nunquã licet nubere: sic nuptæ, tantum coniuge mortuo. nam si fas esset, illo viuo, cõiungi cum altero, tum ab illo transire ad alium, aliis aliorum vxoribus promiscue, & cõmuniter inter se ad libidinẽ abutentibus, virisq; omnibus cum illis omñib. omnino cõcumbentibus; quid tandẽ cõiugio opº fuit? aut quo modo hodie hoc, illo cras, ac deinceps aliis cum eorum v-

xore

xore consuetudinem habentibus, coniugum amor, ac studium nõ labefactetur? quamobrem Dominus merito id adulterium appellauit. Quid igitur de Iudæis permisit? nẽpe propter illius gentis pertinacitatem, ne inter se dimicarẽt, ne proprias domos implerẽt sanguine propinquorum. Vtrum, quæso, præstat, inuisam vxorẽ domo expellere, an intra parietes domesticos occidere? quod sane fecissent Iudæi, si non ipsis illam ex ædibus eiicere licuisset. itaque inquit, Si ipsam odisti, amãdato. cũ vero ad moderatas, & ad eas loquitur, qbus, vt irascãtur, minime permittit, quid inquit? Si discesserit, maneat innupta. Vides ne rei necessitatẽ, & inexorabilem seruitutẽ? vides vtrunq; vinculis vndique constrictum? est enim cõnubij necessitudo instar vinculorum, neque solum propter curarũ turbã, quotidianasq; molestias,

XLI. *Quamobrem Iudæis Deus diuortiũ permiserit.*

sed

sed quòd vsq; adeo cõiuges deuincit nodo seruitutis, vt nulla magis seruitia in cuiusquam dominatu, quàm ipsi alter in alterius potestate esse cogantur. Dominetur, inquit, vir vxori: sed quodnam illi facit is dominatus emolumẽtum? rursus enim in eius seruitutẽ tradit, q̃ ipsius potestati subiecta est. Nouam præterea quandam, & admirabilẽ excogitauit cõpensationem seruitutis. ac, quemadmodũ serui fugitiui, singuli separatim vincti à suis dominis, rursumq; tenui quadã catena inter se constricti vniuersi, quòd compedibus catenæ vtrinq; affixis, alius alium sequi cogitur, liberam non habent abeundi facultatem: sic coniugum animæ, cum propriam sui curam sustinent, tum altera etiam premũtur necessitate, à communibus coniugij vinculis imposita; quæ & grauius vrget omnib. vinculis, & hoc ipso ab vtroq; libertatẽ aufert,

aufert, quòd alteri ne semel quidē princi patum defert, sed vtrique distribuit. Vbi igitur sunt parati isti ad omnē perferendam seruitutem propter fructum voluptatis? nam in dissidiis, ac dissensionib. quæ sæpissime inter ipsos ad multū tempus permanent, non parum de voluptate deminuitur: atq; eiusmodi seruitus, q̄ alterum vitia alterius vel inuitum ferre cogit, facile omnem obruit fructum voluptatis. iccirco sanctus ille vir impetum libidinis primum repressit graui illa cohortatione, Propter fornicationes, propter intemperantiam, ardoremq; libidinis. vt vero intellexit, apud multitudinem eam reprehensionem minimi esse pōderis; illud, quod ad deterrendū vim maiorem habet, adiunxit. quamobrem discipuli etiam dicere coacti sunt, Non expedit nubere. quod hanc vim habet, qui connubio iunctus sit, sui iuris esse

neminem. ac neq; id ita dictum est, quia cohortatio sit, aut cõsilium, sed quia iussi, ac pręcepti necessitatem habeat. iungamur enim connubio, nec ne, nostri id arbitrij est: vt vero in matrimonio collocati fuerimus, nostro carẽtes arbitrio, velimus, nolimus, seruitutẽ feramus necesse est. quamobrem id tandem? quia haudquaquam huius seruitutis ignari eã expetiuimus; sed, eius tum officiorum, tum legum admodum intelligentes, volũtario nos ipsi iugo subiecimus. Deinde vero, cũ de iis locutus esset, qui fideles vxores habent, omnibusq; de coniugio legibus explicatis, atq; sermone de seruis interposito, illis denique ipsis satis eo confirmatis, quòd eiusmodi spiritalis ingenuitas seruitute nõ imminuitur; reliquum deinceps aggreditur de virginitate sermonem; quem diu conceperat animo, ac parturierat, parit in præsentia. ne-

tia. neq; tamẽ in iis, quæ de coniugio dicit, tacitam virginitatem relinquere potuit, breui quidem eius facta, dispersaq; mentione: sed tamẽ hanc ipsam orationem illi etiam cohortationi intexuit, pręclara ista ratione & via nostras aures ad audiẽdum præparans; & animos ante deliniens, aditum ad orationem sibi optime comparat. itaq; post eam, quam in seruos adhibet, admonitionem, (Pretio, inquit, empti estis, nolite fieri serui hominum) Domini in nos beneficia nobis in memoriam redigit, atq; eo omniũ mentibus excitatis, & ad cælum erectis, illum infert sermonem de virginitate, De virginibus præceptum Domini non habeo, consilium autem do, tanquam misericordiam consecutus à Domino, vt sim fidelis. de fidelibus autem, qui infideles mulieres habent in matrimonio, cum nullũ haberet præceptũ, hisce

verbis magna auctoritate legem tulit: Nam ceteris ego dico, non Dominus; si quis frater vxorem habet infidelem, & hæc consentit habitare cum illo, ne dimittat illam. Quid igitur non fers eandē de virginibus sententiā? quia de hac ipsa re plane Christus statuit, virginitatem vetās inter necessaria iussa referri oportere. illud enim, Qui potest capere, capiat, liberam dat auditori optionem eligendi. cum autem de continentia disserit, Volo omnes homines, inquit, sicut me ipsum, esse continentes. Item, Dico autem innuptis, & viduis, bonū est ipsis, si permanserint, sicut & ego. Cum vero de virginitate disputat, nusquā se ipsum interponit: itaq; summissiùs loquitur, et plane refugiens: neq; enim id ipse perfecerat. Præceptum, inquit, nō habeo; primum id ad arbitrium cuiusque referens, sibiq; beneuolum faciens auditorem, sic

ad

ad consilij dandi rationem aggreditur. quòd enim virginitas, vt primũ ea vox emissa est, magnam vim laboris ostendit; iccirco ad virginitatis cohortationẽ non statim accessit, sed, data auditori soluta eligendi optione, eum sibi conciliat, & ipsius animum huiusmodi apparatu deliniens, & oblectans, initium ad id adhortãdi facit. Tu, hoc audito virginitatis nomine, quòd eius cultus multi laboris sit, atq; sudoris, nihil propterea timebis. nõ enim est iussum, neq; ita præscriptum, vt necessario seruari debeat. nam eos Apostolus, qui rem sua sponte, & voluntate suscipiunt, fulgentibus, & florentibus coronis ipsorum capitibus impositis, propriis bonis remuneratur: qui vero excusatione vtũtur, nec ad ipsam volunt accedere, neque in eos pœnam statuit, neq; id efficere cogit inuitos. nec vero ob id solum lenem, & dul-

cem orationem adhibuit, sed eo etiam, quòd eius rei beneficium non suum, sed Christi esse dixit. non enim inquit, De virginibus haudquaquam esse prȩcipio, sed, Præceptum non habeo. quasi ita diceret: Si rationibus humanis impulsus ista cogitassem, cogitatis meis confidendum non esset: sed quãdo ita Deo visum est, magnum id habetis pignus vestrę libertatis. mihi quidem iubendi talia facultas non est: quòd si conseruum quodam modo vestrum vultis audire, do, inquit, consilium, tanquam misericordiam cõsecutus à Domino, vt sim fidelis. Quo quidem loco Pauli artificium, admirabilemq; prudentiam licet intueri, quo modo videlicet is inter duas necessarias, easdemq; inter se contrarias res deprehẽsus, & ita se commendet, vt gratum, acceptumq; illi eius habeant cõsilium; &, quòd eam virtutem non erat assecutus,

nihil

nihil de se magnifice locutus, breuiter vtrunq; comprobarit. quod enim dicit, Tanquã misericordiam cõsecutus, quodam modo se ipse commendat. quòd nõ autem à præclarioris officij munere id faciat, rursum se extenuat, & deprimit. Non enim do, inquit, consilium tanquã is, cui creditum sit euãgelium, tanquam qui dignus habitus sim, qui illud apud gẽtes prædicarem, tanquam negotiũ meæ præfecturæ gerens, tanquam doctor, & magister. Quid ergo? Tanquam misericordiam, inquit, consecutus à Domino, vt sim fidelis; & illud etiam attenuans. minus est enim, tantummodo fidelem esse, quàm fidelium magistrum. Alterã deinde summissionis rationẽ excogitat: quamnam? nõ dixit, vt qui per me fidelis fuerim, sed, Tanquã misericordiã cõsecutus, vt sim fidelis. Cauete enĩ existimetis, quòd Apostol', quòd prędicator euangelij

XLII. *De Pauli summissione.*

euangelij, quòd doctor sim, Dei hæc solum esse beneficia. etenim fides etiã ipsa eiusdem est Dei in me misericordiæ. nõ enim propter dignitatẽ meam, inquit, fidei munere sum affectus, sed propter misericordiam modo: misericordia autem gratiæ est, non meritorum; vt, nisi admodum benignus Deus fuisset, nõ solum Apostolus, sed ne fidelis quidem vllo modo esse possem. Vides gratum serui animum, summamq; summissionem, vt nihilo plus sibi assumat, quàm ceteri habeant? quin etiam fidem ipsam, quæ ei communis erat cum discipulis, ne sibi quidem tribuit, sed Dei benignitati, & gratiæ acceptum refert, id ipsum hisce verbis declarans: quod idem valet, ac si diceret: Nolite meum aspernari consilium: neq; enim me Dei benignitas est aspernata, præsertim cum hoc sit consilium, non iussi vim habeat. faciendum enim

enim id censeo, non, vti faciatis, legem fero. nam ponere in medio, & proponere quæ vnicuiq; conducant, præsertim cum id ipsum, quemadmodū nos in præsentia, auditorū rogatu facias, nulla lex prohibuerit. Existimo autem, inquit, hoc bonum esse. Vides humilem rursus orationem, & omnis expertem auctoritatis? & quidem ei in hanc sententiam loqui licuisset: Quia Dominus noster de virginitate non præcepit; propterea ne ego quidem præcipio; suadeo certe; vosq; ad eius cultum cohortor: etenim Apostolus vester sum. quemadmodum ipse ad eos loquens postea dixit: Si aliis non sum Apostolus, at vobis sum. at nihil hoc loco horum dicit, sed verecundiore vtitur oratione. nam pro eo, Vobis auctor sum, consilium do: loco eius, Tanquam doctor, tanqūam misericordiam, inquit, à Domino consecutus, vt

sim fidelis. Ac, veluti si nõ ea satis essent ad summissionem orationis, à consilio exorsus, sibi rursus precidit auctoritatẽ, non statuẽs omnino, sed rationẽ afferẽs; Existimo enim, inquit, hoc bonum esse propter instantem necessitatem. atqui de continentia differens, neq; verbum adiecit, Existimo, neq; vllam præterea rationem; sed omnino, Bonum est illis, ait, si permanserint, sicut & ego: hoc autem loco, Existimo id bonum esse propter instãtem necessitatem. Quod quidem facit, non quo de re dubitaret, (nihil enim minus) sed vti totum id audientium permittat arbitrio. neq; enim consiliarij est, decernere quæ dicit, sed totũ auditoribus iudicãdum relinquere. Sed quamnam hic etiam nobis necessitatem inquit impositam? à natura ne? minime. primum enim, si id dixisset, facta illius ipsius mentione, contrarium ei,

XLIII. *Ecquam Paulus instantem appellet necessitatem.*

quod

quod voluisset, efficeret: nam qui connubio iungi volunt, eandem sursum, deorsumq; versant: deinde nunquam ipsam instantẽ vocauisset. non enim nunc primum, sed iam diu hæc insita est in hominum genere libido: quę quidem cum violentior olim esset, & plane indomita, Christi aduentu, & eius virtutis vi, quæ nobis adhibita est, domitu facilis est facta. Ergo nullus est hac de necessitate sermo: verum alteram obscurius significat variam, atq; multiplicem. Sed quę nam est ista necessitas? humanarum rerum, negotiorumq; conuersio. is enim est cõcursus curarum, ea solicitudinum oppressio, ea varietas casuum, vt, qui cõnubio iũctus sit, vel inuitus multũ sæpe peccare, & errare necesse habeat. Nobis autẽ summa hæc virtutis norma olim præscripta nõ erat, sed & vlcisci iniurias, & cõuicia in cõuiciatorẽ iactare,

XLIIII. *Facilius virginitate, quam cõnubio cælestẽ regnum acquiri.*

& facere pecuniã,& vere iurare,et oculum pro oculo eruere, & inimicos licebat odisse: neq; etiam luxuriose viuere, aut irasci, aut vxore eiecta, alteram ducere, erat impeditum: ac neq; id solum, sed duas etiam eodem tempore habere in matrimonio lege permittebatur: magna præterea cum harum, tum aliarum rerum omnibus indulgẽtia tribuebatur. quæ sane indulgẽtię via post Christi aduentum longe fuit angustior, neq; eo solum, quòd tanta hæc eorum, quæ diximus, licentia, quanta verbis exprimi nõ potest, circũcisa nobis est, sed quòd eam vxorem, cuius suasu, coactuq; multa etiam sæpe peccamus, inuiti domi perpetuo habere cogimur: vel, qui velit eiicere, adulterij condemnetur, necesse sit. neq; vero ob id solum eam virtutem assequi nequimus, verum etiã, si sit vxor moribus facilibus, tamen moles curarũ,

quæ

quæ nobis circumfunduntur propter ipſam vxorem, ac liberos eius, ne minimum quidem cælum ſuſpicere patiũtur, vndiq; animum quadam quaſi vertigine contorquentes, et obruentes. quòd ſi vir priuatorum hominum tutam, atque tranquillam vitam viuere voluerit; nullo mõdo id aſſequi queat. cum enim videat circum ſe ſtare liberos, & vxorem, cui multa in ſumptum erogãda ſint; vel inuitus demittit ipſe ſe in fluctum ciuiliũ negotiorũ: quò vbi inciderit, non dici poſsit, quanta illi deinceps peccandi neceſsitas impoſita ſit, in iracundia, in iniuria, in iureiurando, in conuicio, in ſimulatione, multa gratiæ, multa ſimultatis cauſa faciendo; qui autem fieri poteſt, vt is ea tempeſtate iactatus, & in illa ipſa laudem quærens, magnas inde peccatorum ſordes non contrahat? Ac ſiquis domeſticas eius res ſcrutatus fuerit, tum

eum grauiori etiam difficultate vxoris causa plenum offendet. de multis enim cogitur vir esse solicitus: quorum nullã sua causa curam suscipere necesse haberet; idq;, si modesta est vxor, & commodis moribus: sin vero nequam, difficilis, & molesta fuerit, non modo hanc ipsam rem necessitatem dicemus, sed pœnam, atq; suppliciũ. quo modo autem is, tanto negotiorum oppressus pondere, grauissimis etiam vinculis catenæ ad terrã assidue trahentis constrictis, & colligatis pedibus, (vincula enim vxoris improbitatẽ appello) quo modo, inquam, cæleste illud iter, quod soluto, & expedito gradu, vacuo etiam, ac libero animo ineundum est, sic affectus conficere poterit? Sed quæ est ista sapiens multitudinis oratio, qua nobis respondent ad ea omnia, quæ in ipsos diximus? Nonne, inquit, maior illi merces debetur, qui in

tanta

tanta difficultate propositum sibi finem nihilo minus assequitur? Quid ita, vir optime, aut quamobrem? Quia maiorē, inquit, propter coniugium laborem sustinet. Quis autē eum tantum oneris suscipere coegit? nam si, matrimonio cōiungi, legi omnino est obtemperare; cōtra uero, non nubere, legis iussa negligere: habet speciē probabilitatis ista ratio. sin autem is, cum iugum connubij minime subeundi potestas ipsius esset, nemine cogente, sibi vt illud virtutis certamē molestius redderet, libens in tantas se difficultates induit, nihil id ad certaminis auctorem: tantum enim is iussit bellum cum diabolo susceptum conficere, & ex pugna vitiorum referre victoriā. quod siue quis iunctus cōnubio, corporiq; deseruiens, deq; multis solicitus, siue exercitus, & excruciatus, ab omni vero alia cura liber, id ipsum perficiat: nihil

XLV. *Nullū iis præmiū esse propositum, qui superuacaneas excogitat difficultates.*

nihil illi est curę de reliquo: rationē certe victoriæ, & viam, quæ ad trophæum ducit, illam is esse inquit, quæ ab omni terrenarum rerum cura soluta sit et libera. tu vero cum vxore, liberis, & iis, quæ inde molestiæ cōtrahuntur, impeditus, quod bellum gerere et pugnare vis, quasi eadem effecturus, maiorem etiam fructum percepturus, quàm illi, qui nulla earum rerum implicantur, propterea sis admirabilis? sed si te in illum excelsum locum, quō illi ascenderunt, peruenire non posse dixerimus: magno fortasse nos arrogantiæ crimine condemnabis: verum exitus ipse, et coronarum dies tibi illud facile probabit, inani ambitioni multo prętare certam possessionē, longeq; esse melius parere Christo, quàm inanibus tuis rationibus commoueri. Christus enim rerum omnium renuntiationem ad virtutem assequendam satis esse

tis esse negauit, nisi præterea ipsi nos oderimus. tu vero in his omnibus volutatus, te in hoc prœlio superiorẽ esse posse affirmas? sed, quemadmodũ dixi, tum præclare intelliges, quantum vxor, curæq; de ea susceptæ ad virtutem consequendam impedimentum afferãt. Quo modo igitur hanc adiutricẽ, inquit, appellauit, quæ impedimento est? Faciamus enim, inquit, ei adiutorium simile sibi. Ego contra abs te quæram, quo modo illa adiutrix, quæ tanta virum tranquillitate priuauit? quæ de admirabili illo paradisi statu deturbauit, & in huius vitæ perturbationẽ impulit? hæc enim non modo sunt adiutricis, sed eius, quæ hostilem in modũ insidiata fuerit. A muliere enim, inquit, initium factũ est peccati, & per illam morimur omnes. Ac diuus quidem Paulus, Adam, inquit, nõ est seductus, mulier autẽ seducta in præ-

XLVI. *Si ad vitæ perfectionem vxor impedimẽto est, quid sit, quòd eam adiutricẽ vocent diuinæ litteræ.*

Gen. 1.

Eccle. 15.

1. Timoth. 2.

uaricatione fuit: quo modo igitur adiutrix illa, quæ virum morti subiecit? quo modo adiutrix, cuius vitio filij Dei, vel potius omnes terrarum incolę vna cum feris, ac volucribus, ceterisq; animantibus eluuione perierunt? nonne vxor iusto illi Iob, nisi is admodum se virũ præbuisset, fuisset exitio? nõ sua Sansonem perdidit? nonne eô mulier Hebræorum genus adduxit, vt omnes Beelphegor initiarentur, et propinquorum manibus trucidarẽtur? quis maxime Achab, quis ante eum Salomonem, summa sapiẽtia, & gloria virum, diabolo prodidit? nonne vxorum suasu viri etiam nunc multa apud Deum offendunt? an non iccirco sapiens ille breuem omnem malitiã super malitiã mulieris esse testatur? Quonam igitur pacto, inquit, De⁹ illud dixit, Faciamus ei adiutorium simile sibi? neq; enim mentitur Deus. nunquã enim ego

Eccle. 15.

ausim

ausim id dicere; minime. illa quidē profecto ad hoc creata fuit, verum dignitatem suā retinere noluit; quemadmodū ne propriā quidem vir conseruauit. etenim illum Deus ad sui imaginem, & similitudinem finxerat: Faciamus enim, inquit, hominem ad imaginem, & similitudinem nostram: quemadmodum illud etiam dicit, Faciamus ei adiutorium simile sibi. quibus ille prędituſ, mox amisit vtrūq;: nam neq; quod de diuina imagine, neq; quod de similitudine ei fuerat impertitum, tutatus est. qui enim? cui vel inuito, cū is, importunæ libidini deditus, & fallacibus captus illecebris, minime voluptatē tēperasset, omne ornamentum diuinæ imaginis detractū est. neq; enim paruā ei Deus potestatis partem ademit, qui ipsum ceteris animantibus prępositum, quasi dominū quempiā formidolosum, tanquā ingratū seruum,

qui apud dominum offendisset, in contemptionẽ seruorũ adduxit: nam initio
Gen. 2. vel à bestiis omnibus timebatur. omnia enim Deus ad eum adduxit: neque illi quidquam vel nocere audebat, vel insidiari, quippe quòd in eo videbant regiã relucẽtem imaginem. simulac vero speciem illam peccati tenebris obscurauit, Deus hominem de imperij statu deiecit. Vt igitur, quòd in omnes terrenas animantes is non tenet imperium, quin etiam tremit non nullarum timore perterritus, propterea Dei sententiam illam, Dominentur bestiis terræ, falsam id esse non arguit: non enim largientis voluntate, sed accipientis culpa illa tum deminutio facta est: sic, quę viris insidię comparantur ab vxoribus, nihil illis verbis officiunt, Faciamus ei adiutorium simile sibi. vt enim illud efficeret, mulier creata fuit, at non in eo manfit. Sed illud

præte-

præterea dici posſit, ad huius vitæ conſeruationem, ad liberorum procreationem, naturalemq; libidinem quantum ea adiumentum afferat, nobis oſtendi. Sed cum & huius vitæ, & propagandæ ſobolis, & omnino omne cõiunctionis tempus abierit; quid hic mihi adiumentũ illud fruſtra cõmemoras? nam eã, q̃ minimis tantũ in rebus poſsit opitulari, ſi quis in magnis etiam negotiis adiutricem adhibeat, non modo ſibi nihil profuerit, ſed etiam curarum impedimentũ accerſierit. Quid autem Paulo, inquit, ad illud reſpõdebimus? Vnde enim ſcis mulier, ſi virum ſaluum facies? aut quid ad ea dicemus, cum ipſius adiumentum in ſpiritalibus etiam neceſſariũ eſſe demonſtrat? Iſtud et ego fateor. non enim omnino eam à ſpiritali ſocietate remoueo, non: quin eam laudem tum aſſequi affirmo, cum res, quæ pertinent ad con-

XLVII. *Quo modo uirum adiuuet vxor in ſpiritalibus rebus.*

nubium, non agit, sed muliebri sexu ad virtutem sanctorum virorum peruenit. non enim, cum fuco oblinitur, cum luxurioſe viuit, cum certas à viro penſiones exigit, cum ſumptuoſa, cum prodiga est, illis moribus ad ſalutem virũ perducere poterit; ſed, cum infra ſe habens humana omnia, vitãq; exprimens Apoſtolorum, ſummam cum probitatem, ac modeſtiam, tum pecuniæ deſpicientiã, tolerantiamq; preſefert, tunc ipſum poterit trahere in ſuam ſententiam; cum
1. Timoth. 6. dicit, Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti ſimus; cum hæc vita, & moribus oſtendit; ac corporis irridens interitum, vitam hanc nihil eſſe dicit; cum omnem rerum humanarũ gloriam ex ſanctiſsimi Prophetæ ſententia profeni flore putat. Non igitur vxor, quia cum viro coniungatur, virũ ſeruare poterit, ſed euãgelicæ vitæ ratione, & inſtituto:

instituto: siquidem id nullo iunctę connubio multæ mulieres effecerunt: nam Priscilla Apollo, inquit, assumpto, eum in omnem viam veritatis induxit. quòd si id nunc vsu non venit, vt idem stụdiũ mulieres adhibeant, et hunc ex se fructũ edant; non tamen illa, quemadmodum dicebam, quia vxor esset, hominem allexit: siquidẽ nihil prohibeat, quenquã eorum, qui fideles vxores habent, in infidelitate permanere; quandoquidẽ connubiũ, et cõiũctio per se rem perficeret. at non est ita, non inquã ita est, sed optima viuendi ratio, summa tum patientia, tum eorum contemptio, quæ coniugio attributa sunt, perpetuusq; huius vsus operis efficiet, vt eum seruet, qui cũ matrimonio copulata est. quod si permanserit in cupiditate, et studio eorum, quæ ad vxores attinent; non modo non ipsi adiumento, sed etiam detrimento fuerit. Act. 18.

fuerit. quantam autem vel ita res habeat difficultatem, ex Paulo cognoſce. Vnde enim, inquit, ſcis mulier, ſi virum ſaluum facies? quo nimirum interrogandi genere in iis, quæ prẽter opinionem accidunt, vti conſueuimus. ſed quid prẽterea adiicit? Alligatus es vxori? noli quẽrere ſolutionẽ. ſolutus es ab vxore? noli quærere vxorem. Vides, quàm frequenti tranſitione vtatur? quantam identidẽ ad vtrunq; adhortando vtriuſq; temperationem adhibeat? vt enim in iis, quæ de connubio diſſeruit, excitans auditorem, continentiam interpoſuit: ſic hoc loco etiam de continentia loquens, vt idem interdũ reficeretur auditor, rurſus cõiugiũ introducit. à virginitate exorſus eſt, ac priuſquam de ea diſſereret, ſtatim ad nuptias refugit. quod enim dixit, Præceptum non habeo, eo conceſsit, & introduxit connubium: deinde ad virginitatem

ginitatem ingressus, atque ita locutus, Existimo hoc bonum esse, quia animad uerterat, si virginitatis nomẽ sæpius inculcaretur, id iis, quorum esset fastidiosior aurium sensus, molestius futurum, minime frequens illud adhibet: quin, etiam si satis causæ attulerat ad solatium laborum, qui propter eam rem suscipiũtur, cum instantem dixit necessitatem, neq; sic tamen rursus vti vocabulo virginitatis est ausus: sed quid? Bonũ, inquit, homini sic esse. ne id quidem verbo exprimit, verum præcidens, & abscindens orationem, antequam rei acerbitatem appeiiret, sermonem illum intulit de cõnubio: Alligatus es vxori? noli quærere solutionem. quod nisi ita esset; nunquam adductus fuisset, vt hic eiusmodi solatium excogitaret, quòd esset supervacaneum, in consilio de virginitate de cõiugio disputare. deinde iterum ad virginitatem

ginitatem redit: ac neq; hic etiã ſuo rem nomine appellat: quid vero inquit? Solutus es ab vxore? noli quærere vxorẽ. Sed ne vereare: non decreto id Paulus, nõ lege ſanciuit. nam vt hunc timorem eriperet, q̃ de virginitate dixerat, eiuſmodi ſermone de nuptiis ſubſecutus eſt: Si autem acceperis vxorem, non peccaſti. Sed ne in eo quidem concides: rurſus enim te ad virginalem caſtitatem reuocat. atq; hæc eſt huius orationis ſententia, eos, qui connubio dent operam, magnam corporis moleſtiam ſuſtinere. vt enim boni, & lenes medici cum acriori medicamento vti, & ad ſecandum, aut at vrẽdum venire, aut omnino eiuſmodi aliquid ægroto volunt adhibere, haudquaquam hæc omnia ſimul efficiunt, ſed interuallo medentes ægrum reſpirare patiũtur, et ita reliqua identidem adiiciunt: ſic diuus Paulus neq; ſine interuallo,

teruallo, neq; vniuerse, neq; omnino ordine sententiam de virginitate cõtexuit; sed frequenti connubij cõmemoratione interrumpẽs, atq; ita rei molestiam occultans, illud est assecutus, vt & iucundior, & gratior esset oratio. Atque hæc est causa permistæ in hac disputatione varietatis. reliquũ vero est, vt verba etiam illa perpẽdamus: Alligatus es, inquit, vxori? noli quærere solutionem. quod nõ tam valet ad cõsilij dandi rationem, quàm ad proponẽdã difficultatẽ, & ad indicandos laqueos, vnde nullo te modo expedire possis. quid enim nõ dixit; Habes vxorem? ne dimiseris: viuis cũ illa cõiuncte? ne ab ea distraharis: sed vtriusq; coniunctionẽ vinculum appellauit; vt, quãtum haberet res oneris, demonstraret. nam cũ omnes inhiẽt cõnubio, tãquam optabili cuipiã, & expetendo bono, ab iis, qui inter se colligati sunt,

coniuges nihilo differre ostendit. nam hic etiã, altero trahente ad eius arbitriũ, alterum sequi necesse est; seditioso item altero, alterũ vna cum eo interire oportet. Quid si vir, inquit, procliuior fuerit ad libidinem, ego vero cõtinens esse voluero? Est omnino eius obsequendum cupiditati. etenim, nisi id tua voluntate feceris, te iniecta per coniugium vincula ad eum attrahent, cumq; ipso congregabunt, qui tibi initio astrictus est. quòd si restiteris, nodumq; intercideris; non solum te nõ exemeris è vinculis, sed extrema supplicia subibis. Quæ enim se cõtra viri voluntatem continuerit, non eo solum præmio priuatur, quod est continentiæ propositum, sed etiam rationem reddet eius adulterij, vel potius ipsius pœnam sustinebit. quamobrem tãdem? quia virũ illa impulit in eam flagitij voraginem, quòd ei legitimæ coniunctionis fru-

XLVIII. *Vxorem, quæ se contra viri voluntatẽ cõtinuerit, si vir flagitiũ fecerit, eius flagitij pœnas dare.*

nis fructum denegarit. Quòd si vxori ne ad pũctum quidem temporis, nolente viro id facere permissum est: quæ ei venia dabitur, quæ ipsum perpetuo priuat eo fructu iucunditatis? sed quid, inquit, hac necessitate, quid hac vi grauius possit accidere? Istud ego etiã tibi assentior: sed quid est, quamobrem eam tantæ astringis necessitati? prius enim quã nuptiæ coniungerentur, non illis coniũctis hac ratione vti oportuit. Quamobrem etiam Paulus post cõiugij vincula, coniunctionis eius necessitatem imponens, de disiunctione loquitur: nam cũ hoc dixisset, Alligatus es vxori? noli quærere solutionem; tum illud adiũxit, Solutus es ab vxore? noli quærere vxorem. quod iccirco fecit, vt, cum, quantã vim habeat cõiugium, diligenter consideraris, atque perspexeris, tum facilius audias, quæ de colenda castitate dican-

tur. Si enim nupseris, inquit, non peccasti. illud etiam, Si nupserit virgo, nõ peccauit: vide quàm præclarũ huic matrimonio finem proponat, vt vitet vituperationem, admirationẽ non habeat: hęc enim est propria virginitatis. nam qui duxerit vxorẽ, satis habeat illud audire, se nihil ea re peccare. Quid igitur hortaris, inquit, me, ne vxorẽ expetã? Quòd semel alligato nulla vnquam postea tibi inde explicandi te facultas datur; quòd summũ præterea habet angorem. Sed, quæso, solũ ne id boni est ex virginitate, quòd eius cultu homines angorem effugiunt? at quis, vt virginitatem colat, his propositis præmiis adducetur? cuius uero patientiæ illud erit, in maximum hoc certamen, sudorisq; pleniſsimũ, hac tantum mercede descendere? Quid ais? me ad pugnam dæmonum inuitas: (non enim est nobis luctatio cum sanguine, & carne)

XLIX. *Cur præsentibus voluptatibus ad virginitatem adhortetur.*

& carne) vt contra naturæ furorem resistam, adhortaris: suades, vt carne, & sanguine coagmẽtatus eadem assequar, quæ mentes efficiũt incorporeæ: et nũc terrestrium meministi bonorum? vt affirmes nos expertes coniugij nullã molestiam habituros. Sed quamobrem illud non dixit, Virgo, si nupsit, non illa quidem peccauit, sed ipsa se virginitatis corona priuauit, nempe magnis muneribus, & inexplicabilibus? Quid vero bona nõ exposuit ea, quę, certamine cõfecto, ipsis sunt reseruata? quo modo spõso obuiã prodeunt, quo modo fulgentes gestabũt lampades, quo modo glorioſe admodum, fidenterque vna cum Rege sponso in thalamum introeant, quo modo ad regium solium accedentes omniũ maxime fulgeãt? At de illis ne verbum quidem fecit; passim vero meminit vacuitatis molestiarũ, quas vita hęc habet.

Existimo,

Existimo, inquit, hoc bonum esse: &, omissa causa futurorum bonorum, Propter instantem, inquit, necessitatem. deinde iterum inquit: Si nupserit virgo, non peccauit. ac, cælestibus muneribus, quibus eam priuauerat, silentio præteritis, Tribulationem carnis, inquit, habebunt huiusmodi. neq; vero hactenus id facit, sed vsq; ad finem perducit orationis: neq; rem etiam suadet proposita spe futurorum bonorum, sed iterum ad eandem refugit causam: Tempus, inquit, breue est: atq; eius loco sermonis, Volo, vt splendor vester in cælo luceat; & vti magis eluceatis, quàm qui connubio iuncti fuerint. rursus terrena cõmemorat, Volo, inquit, vos sine solicitudine esse. Nec vero id solum hoc loco facit, sed de tolerantia differens, hanc ipsam iniit consilij dandi viam: Si, inquit, esurierit inimicus tuus, ciba illum: si sitit, potum

Rom. 12.

potum da illi: ac tantam rem imperans, naturæq; necessitati vim iubens afferre, & ita intolerabilem rogum sustinere, in iis, quæ de præmiis dicuntur, & cælum, & cælestia bona silentio transiens, mercedem definit eius incommodo, qui intulit iniuriam: Ita enim, inquit, Carbones ignis congeres super caput eius. Quid autem hac cohortandi ratione vsus est? non insciti, neq; quòd ignoraret, quo modo auditor allici, aut persuaderi deberet; sed quòd omnium maxime hanc ipsam virtutem, persuadendi inquam facultatem assecutus esset. vnde id appareat? ex iis, quæ ab eo dicta sunt. quo modo? qua ue id ratione? ad Corinthios loquebatur: (primum enim dicemus de iis, quæ de virginitate disseruit) ad Corinthios, inquã, loquebatur, apud quos se nihil scire iudicauit, præter Christum, & eum crucifixum: quibus cum Rom. 12.

u agere

agere tanquã cum iis, qui rebus cęleſtib. dediti eſſent, minime potuit: ac, quòd hærerent in corpore, & in cura terrenarum rerum eſſent defixi, lac etiam tum illis adhibuit: ad quos cum illa mitteret, ſic eſt locutus: Lac vobis potum dedi, non eſcam; nondum enim poteratis: ſed ne nunc quidem poteſtis: adhuc enim carnales eſtis, & ſecundum hominẽ ambulatis. Iccirco terrenarum rerum commemoratione, & eorũ, quæ ſub oculos, & ſenſus cadunt, eos & ad virginitatem cohortatur, & à coniugio deterret. prę-clare enim intelligebat, humiles, humique ſtratos, & adhuc in terra defixos, ſic terreſtribus rebus erigi facilius, & adduci poſſe. qui enim, cedo, pleriq; eorum, qui rudi adhuc, tardoq; admodum ſunt ingenio, tam in minimis, quàm in maximis rebus audacter per Deum iurant, ac peierant, in capite vero liberorum ne iu

rare

rare quidem audent? & quidem multo maius illud periurium, multo etiam maior periurij pœna: sed tamẽ hoc iure iurando magis, quàm illo, commouentur. vt uero inopi subueniant homines, non tam cælestis regni pollicitationibus (quamquam illis vocibus eorum aures assidue personant) adducuntur, quàm si aliqua vel liberorum, vel eorum ipsorũ vitæ vtilitatis spes proponitur. tunc itaque eiusmodi misericordiam large impertiunt homines, cum ex diuturno aliquo morbo conualuerint, cum periculũ effugerint, cum potẽtiam, ac principatũ aliquem consecuti fuerint: & omnino maximam hominũ partem iis, quę ante pedes sunt, magis moueri reperias. in secundis enim rebus magis hæc mouent: in aduersis vero plus terroris est, quo propiora sũt sensui. iccirco et ad Corinthios ita locutus est, & Romanos cõme

moratione præsentium rerum ad tolerantiam erudiuit. nam qui imbecillo est animo, si iniuriam acceperit, non tam facile iracundiæ dolorẽ deponit, cũ de regno audierit, aut eũ in maximorũ spem bonorũ inciderit, q̃ eius spem supplicij, qui iniuriam fecerit. itaq; cum vellet fibras memoriæ iniuriarum extirpare, & omnino libidinem puniendi eius, qui læsisset, exhaurire, illud elegit, quod adhibitum ad consolandum eum, qui accepisset iniuriam, magis accommodatum est. non adimit illi spem mercedis in cælo constitutæ; sed tamen ipsum interea, quoquo modo potest, in sapientiæ viam deducere, & ei gratiæ fores patefacere studet. nam virtutis principia difficillima illa quidem, progressio vero ad virtutem non ita laboriosa est. At non id fecit Dominus noster Iesus Christus, neq; cum de virginitate, neq; cũ de tole-

rantia

rantia differuit: sed in illis quidem cælestis regni meminit: Sunt enim, inquit, eunuchi, qui se ipsos castrauerunt propter regnum cælorũ: cum vero ad preces pro inimicis faciendas cohortatur, neq; de incommodo eorũ, qui læserunt, mentionem facit, neq; candentium carbonum, sed, illis omissis omnibus, quæ in eam orationem conueniunt, quæ & parui, & angusti animi, calamitososque homines habeatur, maioribus eos ipse præmiis inuitat: quibusnam? Vt sitis, inquit, similes patris vestri, qui in cælis est. Vide, quantum premium proponatur. horum enim auditores fuerunt Petrus, Iacobus, Ioannes, et reliquorũ Apostolorum chorus. quamobrem cælestibus eos premiis inuitat. quod Paulus etiam ipse feciſſet, si ei cum huiusmodi hominibus fuisset negotium. quòd autem ad Corinthios rudiores loqueretur, ipsis

fructus laborum iam nunc repreſentat, quo ad colendam virtutẽ alacriores veniant. Iccirco Iudæos etiam, promiſsis regni cæleſtis omiſsis, terrenis bonis alliciebat Deus: pro malis vero actionib. non æternum ignem, ſed præſentes eis calamitates minabatur, famem, peſtilentiam, morbos, ſeruitutem, bella, & alia eius generis. his enim homines, qui magis hærent in corpore, magis commouentur: quæ uero neq; videntur, neque adſunt, illis mouentur minus. quamobrem Paulus etiam diutius in iis moratur, quæ maxime eorum tarditatem mouere poſſunt. Adde, quòd illud oſtendere voluit ex aliis bonis, quædam vt aſſequamur, multis nos in vita laboribus exerceri, fructum autem omnem in futurum tempus reſeruari; virginitatẽ uero, dum colitur, non leuia nobis præmia tribuere, quæ tot, tantisque nos laboribus, ac moleſtiis

molestiis liberet. Accedit eò, quòd tertium quoddam cõprobari vult. quidnã id est? virginitatem non ex earum rerũ haberi numero, quas adipisci non possimus, sed ex illis esse, quæ maximam habent facultatem. id autẽ facit, cum multis partibus plures inesse docet in coniugio difficultates, tanquã si diceret: Grauis tibi videtur huius rei cultus, & laborioſus? ego vero virginitatem propterea colendam censeo, quòd tantam ea facultatem habet, ut multo minus, quàm coniugiũ, negotij nobis exhibeat: quòd vero vestri misereor, inquit, & molestia liberos esse volo; iccirco, vti cõiugio abstineatis, vobis auctor sum. At q̃ est ista molestia, dixerit fortasse quispiã? negamus vero nos, q̃ summã & quietẽ, et deliciarũ vim in cõiugio reperiem⁹. Ac primũ omniũ, habere ommẽ libertatẽ explẽdę libidinis, nullâq̃; naturalis impetus

vim

vim perferre non parũ momenti habet ad vitæ tranquillitatem: deinde mærore, ſqualoreq; remoto à reliqua vitæ cõſuetudine, eſt etiam alacritatis cõnubiũ, riſusq; & lætitiæ refertũ etenim & ſumptuoſis menſis, & molli veſtitu, & lecto molliori, & perpetua lauatione, & vnguẽtis, et vino nihilo deterius, quàm ſint vnguenta, cõcinnato, & aliis multis, variisq; ſumptibus cõiuges corporibus indulgentes, in magna luxuria, & voluptate verſantur. Primum vero ne iſta quidẽ connubio permiſſa ſunt. nobis enim cõcubitus modo facultatem dare ſolet, luxuriæ licentiam non item: quod hiſce verbis Paulus teſtatur, Quæ luxuriatur viuẽs, mortua eſt. quòd ſi de viduis hæc dicta ſunt; audi quæ de nuptis præterea dicantur, Similiter & mulieres in habitu ornato cum verecundia, & ſobrietate ornantes ſe, non intortis crinibus, aut

L. *Et veteri, & nouo teſtamento iniquũ eſſe luxurioſe viuere.*

1. Timoth. 2.

1. Timoth. 2.

auro

auro, aut margaritis, aut veſte pretioſa, ſed, quod decet mulieres, promittentes pietatē per opera bona. At non hic modo Paulum, ſed alibi etiam multum de eo ſermonem habere videas, in his rebus tantum ſtudij omnino ponendū nō eſſe: Habentes, inquit, alimenta, & quibus tegamur, his contenti ſimus: nam q̄ volunt diuites fieri, incidūt in deſideria inutilia, & noxia, quæ mergunt homines in interitum, & perditionem. Sed quid dico Paulum? qui, cum iam perfectæ viuendi rationis maturitas veniſſet, & ſumma ſpiritus gratia diffuſa eſſet, iſta dicebat. Amos enim propheta cum ad rudes Iudęos loqueretur de iis, quibus & deliciæ, & luxuria, & omnia fere ſuperuacanea permiſſa eſſent, audi, vt in eos, qui delicate viuunt, inuehatur: Væ vobis, qui properatis ad diem malam, & falſa ſabbata colitis, qui dormitis in lectis

1. Timoth. 6.

Amos 6.

eburneis, & lasciuitis in stratis vestris, q̃ comeditis hędos de gregibus, & lactentes vitulos de medio armentorum, qui plauditis ad cãtum organorum, vinum purum bibentes, & optimis vnguentis delibuti: quæ vt stabilia, non vt fugacia, existimarunt. Quemadmodum autem diximus, primum luxuriose viuere minime permissum fuit: quòd etsi nihil horum vetitum esset, verum nobis concederentur omnia; tamen est alia quędam tristitiæ, doloris q̃; ratio, quæ æque valeat, vel potius maior, & grauior sit, quòd ne minimam quidẽ voluptatis partem ex illis capere patitur, sed omnem inde iucũditatis sensũ excludit. Cedo enim, si quis natura propẽsior sit ad eam ægritudinem, quòd alterum quoque vxore sua potiri suspicetur, etiam si falsa aliqua specie eo morbo correptus sit: quid eiusmodi homine mirabili' esse possit? quod

LI. *Etiã si luxuriose viuere permissum sit, tamen coniugij molestius omnem illã tolli uoluptatem.*

LII. *Quantum sit zelotypia, id est obtrectatio malum.*

prælium,

prælium, quam tempestatem cum huiusmodi suspitione, vel furore comparãtes, eius imaginem perfecte cõsequi poterimus? omnia doloris, omnia suspitionis, omnia seditionis, ac perturbationis referta sunt. cum vero eo furore corripitur, nihilo melius afficitur, quàm qui aut agitantur à dæmonibus, aut mẽte capiuntur: adeo continenter effertur, & insultat, stomachaturq; omnibus; in obuiũ omnino, & innocẽtissimum quenq; semper exercet iracundiam, siue is seruus sit, siue filius, siue quicunq; alius: voluptas autẽ omnis excluditur; angorũ, molestiarum, lacrymarumq; plena sunt omnia: etiã si domi se contineat, si in publicũ prodeat, si peregrinetur, ubiq; malis tẽtatur; q̃ quouis aculeo grauius eius animũ mordent, ac stimulãt, neq; ipsum vllam quietis partem capere patiuntur. neq; uero morbus is tristitiã solum, sed

etiam iram intolerabilẽ ingenerare solet. Atq; hæc vel per se singula captum perdere queũt. cũ vero cõcurrunt omnia ad hominem assidue opprimẽdum, & affligendum, neq; ei minimum dant respirandi locum; quo non id est mortis genere calamitosius? nam vel si summã quis egestatem cõmemorarit, si morbũ insanabilem, si ignem, si ferrũ; nihil illi par attulerit. atque id tantum ij, qui sunt experti, bene nouerunt. nemo autẽ oratione complecti possit mali huius incredibilem magnitudinem: cum eam vir, quam omnium maxime caram habet, pro qua libenter etiam animam profunderet, suspectam semper habere cogatur, ecquid illi solatio esse potest? siue enim somnum, siue cibum capere, siue ei bibere necesse sit, non tam cibi mensam, quàm pestiferi veneni refertam putabit. in lecto vero ne punctum quidem

temporis

tẽporis tremore vacuus est, sed, tanquã candẽtibus subiectis carbonibus, sic tumultuatur, seq; versat in omnes partes, quem neq; amicorum consuetudo, neq; negotiorum cura, neq; timor periculorum, neq; exuperantia voluptatis, neq; aliud quidquam ab eiusmodi tẽpestate potest abducere, sed omni vel commodorum cura, vel incõmodorum solicitudine violentior ea procella hominis animum opprimit. Quæ cum animaduertisset Salomon, Dura, inquit, sicut infernus æmulatio. & idem: Æmulationis enim plenus eius viri animus nõ parcet in iudicij die, nec vllo pretio inimicitias deponet, neq; multis muneribus placabitur. Ea enim morbi huius insania est, vt neq; sumpto de eo supplicio, à quo lęsus sit, dolorem ęger abiiciat. itaq; multi, adultero sæpe sublato, neq; iram, neq; angorem tollere potuerunt. Sunt qui

Cant. 8.

Prouer. 6.

etiam, vxore iugulata, iidem mãserint, vel maiori etiam rogo consumpti sint. Ac vir, etiam si nihil eorum verum repererit, in his tamen viuit miseriis. Multo autem grauiora, quàm ea sint, quæ vir sustinet, perfert misera, & infelix vxor. Cum enim eum, qui se in omnibus molestiis cõsolari deberet, & à quo defensionem expectare oportebat, immaniorem in se, atque omniũ sibi inimicissimũ esse videat, quid reliquum spectare possit? aut ad quem confugiat? vbi, præcluso portu, & innumerabilib. molibus oppositis referto, malorũ finem reperiat? tum etiam iniquioribus vtitur seruis, & ancillis, quàm viro. cum enim suspectũ per se, & ingratum est hoc hominũ genus: tum vero, si ad maiorem licentiam peruenerint, & dominos inter se dissentire intellexerint, magnam ad insolẽtiã causam sumunt illorũ discordiã. etenim

illis

illis per ſummam licẽtiam addere, afferre de ſuo, & cõminiſci licet, quęcũq; voluerint: tum quoq; ſuis criminationibus maiorem dant materiã ſuſpitioni; nam vt ſemel animus graui hoc morbo occupatus eſt, facile credit omnia, & æque ſe præbet attentum omnibus, vt qui calumniatorẽ à veraci diiudicare nequeat. quin etiam eiuſmodi homines eos certiores auctores habẽt, qui ſuſpitionẽ maxime augent, q̃ qui eam imminuere ſtudent. ſic illi reliquum eſt, vt cõtubernales omnes non ſecus, ac fugitiuos ſeruos, & eorum vxores neceſſario timeat, & horreat; quibus ſuo cedit loco, contraq; ipſa eorũ ſuſcipit conditionem. quod illi tandem à lacrymis tempus vacuum fuerit? quæ nox? q̃ lux? qui dies feſtus? quãdo libera à gemitu, à fletu, à lamentationibus eſſe poterit? vndiq; minę, cõtumeliæ, conuiciaq; iactantur tum à viro ſine

cauſa

cauſa timẽti, tũ vero ab impuris ſeruis. cuſtodes, primi, alteri ponuntur. omnia deniq; timoris, & tremoris referta. non enim aditus ſolum, aut exitus curioſius obſeruantur, ſed in verba etiam, in aſpectum, in ſuſpiria ſtudioſiſsime inquiritur. Atq; illam oportet vel ſaxo immobiliorem cũcta ferre ſilentio, & grauiorem in modum, quàm qui vinculis conſtricti ſunt, in thalamo hęrere perpetuo, vel, ſi loqui, et ingemiſcere, aut exire uelit, omniũ rationem reddere, cauſamq; apud corruptos illos iudices dicere, ancillas, inquam, multitudinemq; ſeruorũ. Inter hæc mala ſi infinitam vim diuitiarum, ſi menſas conquiſitiſsimis cibis extructas, ſi ſeruorum greges, ſi ſplendorẽ nominis, ſi magnam potentiam, ſummamq; gloriam, ſi maiorum claritatẽ, & amplitudinem ponere velis: ſi nihil omnino relinquas eorum, quæ expeten

dam

dam vitam videntur efficere, sed, omnibus vnum in locum diligenter collatis, & cum hac molestia comparatis: ne apparebit quidem vlla earũ rerum species voluptatis; sed quemadmodum in ingẽs aliquod pelagus paruam incidentẽ scintillam, sic illam interire par est. Hæc autem ita sunt, cum eam vir suspitionẽ habet. Si quando vero inciderit vxor in eiusmodi perturbationem, (neq; enim id raro solet accidere) vir quidem facilius eam perferet, quàm vxor: plus autẽ doloris rursus ad illã miseram redundabit. neq; enim iisdem armis in eum, qui sibi suspectus sit, vti poterit. nam quis id tulerit, vt suæ vxoris iussu domi perpetuo commoretur? aut quis è seruorũ numero in domino curiosior esse audeat, vt continuo in voraginem non demergatur? nõ igitur his machinationibus se ipsa consolari, neque iram querimoniis

euomere queat. nam vt illam vir semel forte, aut iterum conquerentẽ ferat; sic, si nullum fecerit querendi finem, cito eã doceat præstare, id ferre silentio, ac dolore tabescere. Et hæc quidem de suspitionibus. Sin autem à veris causis forte ea perturbatio proficiscatur, vxorem è viri læsi manibus eripiet nemo. quin etiã is, legibus suffragãtibus adductam in iudicium omnium sibi carissimam coniugem iugulabit. ac vir quidem legum pœnam effugit, at è superiore loco Dei iudicio condemnabitur. At nõ satis id est ad illam miseram cõsolandam. quin diuturnam aliquam, ac miserandam mortẽ subire necesse habeat; nempe vt cantionibus tollatur, aut veneficiis, quæ à meretricibus comparantur. Sunt qui ad eas perdendas, quibus iniuriam imposuerant, ne insidiis quidem indiguerint. id enim illæ occupantes doloris grauitate perierunt.

perierunt. Quãobrem, etiamsi viri omnes alacriores sint ad expetenda cõnubia, mulieres tamen ea sequi non oportet. nõ enim id dixerint, in se tantã inesse vim libidinis, vt necessario cogantur. & maiorem inde partem incommodorum, quemadmodum demonstratũ est, trahunt mulieres. Num igitur, inquit, hęc in omnibus insunt nuptiis? At ne ab omnibus quidem absunt; ab omni certe virginitate vel longissime remota sunt. Ac nupta quidem, vt in hoc malum nõ incidat, tamen in mali metum incurret. non enim ea, cui cum viro viuendũ est, in illa consuetudine non potest reputare, ac timere mala omnia. virgo autẽ nõ solum â rei molestia, sed etiam â suspitione libera est. At ista nõ sunt in omni connubio. Ne id quidem ipse dico. verum vt hæc illi non insint, aliæ multæ inerũt molestiæ: ac, si quis illas effugerit, haud

tamen omnia omnino poterit euitare. ac, quemadmodum cum in dumeti tran ſitu ſpinæ alicuius veſtibus adhæſerunt, ſi is, vt vnam vellat, in aliquam ſe partẽ conuerterit, multis aliis compungitur: ſic in re vxoria, qui hoc effugerit, illo lędditur: qui uero illud euaſerit, ad aliud offendit: nullum deniq; omnino moleſtię expers coniugium reperias. Verum, ſi videtur, iis aliquando omiſsis, quæ moleſta ſunt, quod in hoc ipſo feliciſsimum iudicatur, quodq́; plerique ſæpe, vel potius omnes precibus expetunt, id ipſum in medium proferẽtes in præſentia perpendamus. Quid ergo eſt? vt pauper aliquis, humilis, & abiectus, ex ampla, & potenti familia, pecuniaq́; affluenti vxorem ducat. at hoc ipſum contempti illius hominis optatum non minus calamitatum habere reperias. eſt enim alioqui ſuperbia elatũ, & impotentius mulierũ genus,

LIII. *Cõiugium diuitũ expetendum non eſſe, imo uero pauperum connubio eſſe moleſtius.*

genus, ob eamque causam magis etiam perturbationibus propositum. cum vero multas superbiæ occasiones habent; nihil est, quod præterea illas in officio contineat. sed quemadmodum, vbi silua aliqua concepit ignem, flamma in sublime fertur: sic ipsę elatæ incredibiliter & ordinem peruertũt, et summa infima faciunt. neq; enim virum principatum tenere patitur vxor; &, qua est contumacia, et arrogantia, illo de suo gradu deiecto, detrusoq; in locum sibi congruentem, eum subiectum esse vult; ipsaq; dominatum, & imperium occupat. Quid ergo hac peruersitate peius esse potest? Ac mitto conuicia: taceo contumelias: prætereo molestias: nihil ex omnibus rebus est illa intolerabilius. Sin autẽ dixerit quispiam: (id enim de multis audiui tum, cum ista de re sermo haberetur) sit modo copiis, atq; opibus affluẽs,

LIIII. *Vel si qui diuitem vxorẽ in officio continere possit, maiorem tamen eum habere molestiam.*

nihil erit negotij eam continere, aut ipsi superbiam excutere. Si quis igitur ista dixerit, primum ignorat id ex eorũ esse numero, quæ magnam habent difficultatem: deinde, vt ita sit, non parum id detrimenti habet. quòd enim illa timore, ac vi in potestate viri esse cogitur, id viro grauius est, ac molestius, q̃ si ipsa omnem imperandi potestatẽ haberet. quid ita? quia omnem ipsa amorem mutuum, ac voluptatẽ eiicit ex animo vis. sublata autem amicitia, remoto studio, metu ac necessitate illorum locum occupantibus, quid eiusmodi coniugio ad dignitatem reliqui esse potest? Et hæc quidem de uxore locuplete. sin uero vsu veniat, vt egeat ipsa, vir autem abundet; pro vxore erit ancilla; &, quæ libera sit, pro serua habeatur; amissaq; propria libertate, nihilo meliore fit conditione, quàm qui pecunia empti fuerint. Quin etiam,

LV. *Intolerabile malũ esse locupletiori viro nubere.*

etiam, si intemperans ille, si violentus esse voluerit, etiam si turbam impudicarum mulierum in eius cubile deduxerit; libenter iam omnia ferat, vel domo ipsa excedat, necesse est. neq; vero solũ hoc molestiæ habet, sed, viro sic affecto, nec seruis, nec ancillis libere quidquam poterit imperare, sed, perinde quasi cum alienis vitam agat, & fert quæ non sunt suæ dignitatis, &, tanquam apud Dominum potius, q̃ apud virum habitet, sic omnia per vim & agere, & pati cogitur. Quòd si pari nubere voluerit, rursus lege, quæ subiectã viro vxorem esse iubet, æqualitas, & par honoris læditur gradus, cum facultatum modus postulet, vt ea cum viro æquetur. quid igitur est, re vndique miserrima, quod quisquam possit efficere? Nec vero est, vt pauca admodum, & quæ numero facile persequare, cõnubia proferas, quæ ab iis incõ

modis

LVI. *Nuptam magnam doloris necessitatem habere.*

modis aliena fuerint. non enim iis, quæ raro eueniunt, sed iis, quæ semper fiunt, res notandæ sunt. nam hæc virginitati accidere difficile est, vel potius, vt ei accidant, fieri nequaquam potest. in coniugio vero haud facile est, illa nõ euenire. quòd si in iis rebus, quæ secundæ videntur, tantæ molestiæ, & calamitates existunt: quid in illis fieri dices, quas aduersas esse constat? non enim est vxor de vna morte solicita, quanquam illi semel moriendum est; neq; de vna anima laborat, licet vna prædita sit; sed in timore, & tremore versatur viri, liberorum, cognatarum mulierum, seruorum præterea causa; &, quo radix in plures ramos diffunditur, eo maioribus ipsa curis afficitur. Atq; in illis singulis, siue iactura pecuniæ facta sit, siue corpus morbo tentetur, siue quid eiusmodi, quod nolit, acciderit; cædere se ipsa, lamentariq́ue

necesse

necesse habet, non secus atq; illi, quibus ea acciderunt. quòd si prius, quàm illa, decesserint omnes; intolerabili luctu afficitur. sin autem eorum partim in vita mãserint, partim immatura morte obierint: ne sic quidem sincerum quisquam solatiũ reperire possit. timor enim, quo perterritus eius assidue contremit animus, non minus ipsam de iis, qui viuunt, quàm de mortuis, habet solicitam. quin etiam, quod mirabile dictu sit, necesse est, illorum causa magis angitur. leuatur enim tempore dolor is, quem ex morte alterius ceperis: cura de salute viuorum vel perpetua sit, oportet, vel tantũ morte dimittitur. Sin autem domesticas curas ferre non possumus, ecquã vitam viuemus, cum alienas calamitates lugere cogamur? Multæ autem persæpe, claris ortæ parentibus, delicate admodum, ac molliter educatæ, præpotentibus viris

datæ in matrimonium, repente, prius q̃ illis connubiis beatæ iudicari posſint, casu aliquo, tanquam commota procella, aut vento, obruuntur & ipſæ, malorũq; naufragij participes fiunt; & quæ, ante quàm nuberent, innumerabilibus ipſe bonis fruebantur, ſimul aç cõnubio iunctæ ſunt, in extremam calamitatem incidunt. At hæc, inquies, nec omnibus, nec ſemper accidere ſolent. At neq; omnes omnium ſunt expertes. etenim ego quoq; viciſsim illud dicam, id in ſe quoſdam expertos eſſe; quicunq; autem rei periculum non fecerunt, eos tamẽ eiuſdem expectatione eſſe cruciatos. at virgo tum à re, tum à rei timore libera eſt.

LVII. *De iis moleſtiis, quæ inſunt in omni coniugio.*

Sed, ſi placet, illis omiſsis, ea nunc conſideremus, quę coniugium natura conſequuntur, quæq́; nemo vnquam neq; libens, neq; inuitus effugerit. quænã autẽ ſunt iſtæ? dolores, & partus, & infantes.

Verum

Verũ potius orationẽ altius repetamus, & ea, quæ coniugio antecedunt, quoad eius fieri potest, cognoscamus. q enim in se experiuntur, soli subtiliter ea nouerunt. Instat nubendi dies: itaq; cõtinuo variarum concursus curarum, cui tandẽ nubat, ne obscuro homini, ne infami cuipiã, ne moroso, ne fraudulẽto, aut vẽtoso, aut audaci, ne uxoris causa suspitioso, ne sordido, aut stupido, aut improbo, aut duriori, aut effeminato alicui collocetur. neq; enim hæc omnia omnib. accidere necesse est: at omniũ cogitatione, ne accidãt, laborare, & esse solicitas, est necesse. atq; hæc nõdum certo viro, sed cuius adhũc causa spe suspẽsus, & incertus animo timet, & horret omnia. ac nihil est horũ, de quo nõ illa cogitationẽ suscipiat. Sin dicat quispiã, hãc ipsam expectatione eorũ. q̃ his sunt cõtraria, lętari posse: idem bonorũ spẽ non tantũ

ad lætitiam, quantum ad triſtitiam malorum metum apud nos valere intelligat. bona enim tantum, cum in ſpe firma ſunt, pariunt voluptatem: ſola malorum ſuſpitio ſtatim confundit, & conturbat animum. vt enim mancipiis incertis cuinam ſit domino ſeruiendum, per eam cogitationem quieto animo cō ſiſtere non licet: ſic virginum mens totum illud tempus ante coniugium inſtar fluctuantis nauigij iactatur, cum earum quotidiè parentes modo hos probent, modo illos reiiciant; & ex procis eum, qui ſuperior heri fuerat, hodie ſuperet alius, & hunc ipſum rurſus eiiciat alius. factum eſt etiam in ipſa quaſi ianua nuptiarum, vt is, qui certus eſſet ſponſus, inanibus manibus abiret; illi, qui nulla in ſpe puellam haberet, eam parentes darent in matrimonium. Non ſolum autē mulieres, ſed viri etiam grauibus curis exercen-

exercentur. Sed enim licet his quãtumlibet esse curiosis: sed qui fieri potest, vt eius, quæ domo septa perpetuo tenetur, vel mores, vel formam diligenter quisquam possit exquirere? Et hæc quidem de tempore conciliandæ affinitatis. Factis autẽ spõsalibus, augetur solicitudo, nec tam voluptate afficitur, quàm timore; ne forte illo ipso eius diei vespere iniucunda viro; ne eius expectationẽ longe fefelliſſe videatur. nam quæ placuit initio, si postea displicuerit, ferendũ est: quæ vero statim à principio visa est insuauis, quando in reliquũ tempus in admiratione est futura? At ne mihi hoc dixeris: Quid si illa formosa? Ne sic quidem solicitudine vacua fuerit. multæ enim ne eximio quidem splẽdore, & pulchritudine corporis proprios viros tenere potuerunt; quin etiam se illi, relictis vxoribus, iis mulieribus dediderũt,

quæ forma, quàm illę ipſæ, multo inferiores eſſent. atque huiuſmodi ſoluti cura, rurſus alia occupantur. nam eas, quæ de ſolutione dotis moleſtię ſuſcipiuntur, cũ & ſocer, tanquam ſi gratis filiam collocaſſet, ſolutionem ſuſtinet; & ſponſus, quo minus omnem vrgeat exactionẽ, dotemq́; repetat, verecũdia impeditur; & vxor in dilatione ſolutionis viri aſpectum vbiq; magis, quàm ingratus debitor, veretur, & erubeſcit; mitto in præſentia. Sed enim, his illa cura liberatis, continuo timor accedit, ne decedãt ſine filiis. cura præterea procreandæ multitudinis liberorũ: quorum etiam ſi nihil dum perſpicuum ſit, à principio tamen vtraq; ſolicitudine perturbantur: &, ſi vxor facile concipiat, tamen cum timore eſt coniuncta lætitia; neque quidquã boni eſt in cõnubio, quod ſit à formidine ſeiunctum. formido autem ea eſt, ne

quando

quando & per abortum, quod conceptū erat, intereat, & mulier grauida veniat in extremum vitæ discrimen. quòd si lōgum fuerit interuallum, quasi sit ipsa domina partus, sic hiscere nōn audet: sub ipsum vero partum laborioſæ illius vterus discerpitur, ac dilaceratur doloribus: qui nimirum soli tantam vim habent, vt obscurent omnia commoda coniugij. Neq; hęc satis; sed multis prętera solicitatur curis. misera enim, & infelix puella, vel tanta illa dolorū acerbitate discruciata, non minore timore torquetur, ne fortè pro sano, & integro debilis, & mācus fœtus exiſtat, ne tandē pro mare femina in lucem prodeat. etenim ipsas non minus, ac dolor, ea tum solicitudo conturbat. neque enim in iis tantum, quorum culpam sustinent, viros metuunt, sed in illis etiam, quorum ipsæ causa nō sunt, nihilominus eos extimescunt;

ac

ac propriæ ſalutis curam in tanto pericu lo abiicientes, verentur, ne quid viro, quod nolit, accidat. Accedunt deinde aliæ curę de ſalute, & alimentis infantis, qui tum ex vtero elapſus, primam vocẽ emiſerit. & ſi ſcitus ſit puer, & in eo forte indoles virtutis eluxerit, rurſus in timore ſunt parentes, ne quid incommodi accidat filio, ne illi mors inſtet immatura, ne ad aliquam vitę prauitatem conuertatur. non enim modo ex improbis probi fiunt, ſed etiam mali, prauique ex bonis euadunt. & ſi quid eius generis, quod nolit, euenerit, maiorẽ habet moleſtiã, quàm ſi id initio contigiſſet. quòd ſi omnia ad virtutem ſtabilia fuerint; tamen certe mutationis morũ metus ſemper impendet, qui parentum conturbat animum, & maiorem partem adimit voluptatis. At non omnibus, qui connubio iuncti ſunt, liberos habere contingit.

Nonne

Nonne rursus alterũ cõfiteris molestiæ argumentũ? Cum igitur, siue sint liberi, siue nõ sint, siue probis illis, siue improbis, variis tamen curis, atq; molestiis occupentur; quid iam est reliqui, quod in coniugio iucundum appellemus? quòd si rursus coniuges concordissime vixerint; rursum illis timor iniicitur, ne mors dirimat cõiunctionis voluptatem. quãquam non id tantum timore & mali expectatione graue est, sed omnino re ipsa fieri aliquando est necesse. nemo enim probarit, vtrunq; eodem die moriturũ esse: quod cum fieri nequeat, necesse est ei, qui alteri superstes sit, eam vitã agere, quę morte longe sit acerbior, siue diutius, siue parum diu cum coniuge vixerit. nam quo ille maiorem vsum habet, eo maiori dolore afficitur, quòd consuetudo diuturna disiunctionem intolerabilem facit. hic vero, ante quàm vim cõ-

iunctionis gustare,& ea se possit explere,quòd vigẽte cupiditate orbatus vxore,maiori in luctu,quàm ille alter,versatur, & tanquam ex contrariis causis parem vtriq; molestiam trahũt. Quid vero cõmemoranda sunt, quæ inter illud coniugij tẽpus molesta acciderunt? diuturnæ peregrinationes? coniunctæ inter eos solicitudines? morbi? Verũ quid hæc,inquit,ad coniugium? immo vero maxime per huiusce rei causam sępenumero multæ vxores in morbum delapsæ sunt. etenim affectæ contumelia,& ex eo irritatę,tum iracundia, tum dolore in magnos febris æstus inciderunt. quòd si, præsentibus viris, nihil illis talę contingit,sed perpetuo facilioribus ipsis vtuntur, absentibus tamen, & peregrinantibus, eisdem malis circumsidentur. Sed,vt alia huius generis mittamus omnia,& nihil eorum coniugio tribuamus;

ne sic

ne sic quidem illam inde causam remouere poterimus: quam tãdem? quòd valentem hominem nihilo meliore cõditione, quàm ægrotũ, esse patitur, sed parem ei, atq; ægro, dolorem affert. Vis ergo etiam, his omnibus omissis, ea ponamus, quæ iure esse non possunt, concedamusq; coniugium bonis vniuersis refertum esse, multis, & eisdem probis liberis, diuitiis, vt pudica sit vxor, formosa, prudens, vt cum viro concordissime ad summam viuat senectutem; accedat eò splẽdor generis, & magna potẽtia; neq;, quod est commune naturæ, metus vllus earum rerum mutationis eam perturbet, sed omnis causa angoris, omnis curarũ, & solicitudinũ occasio inde excludatur, ac nulla omnino causa ne mors q-dem immatura cõiugiũ disiũgat, sed vt eodem die decedât oẽs, vel, quod multo uidetur felicius, superstites sibi relinquãt

LVIII. *Connubium quamuis omnes molestias effugerit, nihil tamen magnum, aut amplum habere.*

liberos, heredes bonorum, qui parentes ipsos ad extremam eorum senectutem simul efferant; quem tandem finem cõsequẽtur? aut quid ex tanta illa voluptate commodi, illuc migraturi secum afferent? multos filios reliquisse, vxorẽ formosam habuisse, deliciis, aliisq; omnib. quę modo cõmemoraui, vitam ad multam ætatem perduxisse. quid id nobis ad illud tribunal in æternis, & veris rebus prodesse poterit? nihil. an non hæc vmbra sunt, atq; somnium? Cum enim futuro illo infinito tempore nullum ab eiusmodi rebus fructum percipere, nullum inde solatium habere poterimus; eum, qui illarũ rerum particeps, ab iis, qui earundem expertes fuerint, nihil differre fatendum erit. neque enim, si quis mille annorum spatio tantum vna nocte boni aliquid in quiete viderit, meliore illum cõditione esse dicemus, quàm eum, cui

tale

tale visum non occurrerit. Quanquam non dixi, quod volebam. non enim tam à veris rebus somnia superantur, quàm hæc terrena ab æternis illis absunt. multo enim hæc magis. neq;, quam ad mille annos vna nox, eam præsens cum futuro tempore cõparationem habet. quin etiam hoc multo est longius interuallũ. at non est virgo eiusmodi; verũ illa mul tarum mercium referta hinc proficiscitur. sed ab initio potius sermonem consi deremus. Non necesse habet, nimis esse curiosa in cogitatione, & inquisitione viri: neq; veretur, ne quam sibi is fraudẽ faciat. Deus enim est, non homo, dominus, non conseruus. & quidem hoc inter sponsos discrimen est. quibus vero coniungãtur, animaduerte. Non enim dos huius sponsæ sunt mancipia, non agri iugera, non tot, tantaq; aurea talen ta, sed cælum, & bona cælestia. Accedit

LIX. *Facilem esse virginitatem.*

eò, quòd, quæ nupta est, cum aliis de causis mortem reformidat, tum quòd se ab eo seiungat, quicum matrimonij vinculo cõiuncta est. virgo & exoptat exitũ, & vitam sibi grauem esse sentit, quòd viri os intueri, & eius gloria frui properat. Nam, quòd inopem vitam viuat, vt iis, quæ nuptæ sunt, id ei nocere non potest. quin etiã, si eam conditionem liben ter ferat, spõso sit ob eam causam carior, & iucũdior; nec, quòd humilis sit, & abiecta, nec, quòd minus formosa, & pulchra specie, neq; omnino ei quidquam huiusmodi detrimẽto est. quid uero ista dico? etiamsi minus forte libera sit, ne id quidem illi ad nuptias impedimẽtum affert: quin ei satis est animæ pulchritudinem præstare, & principatum adipisci. null' illic obtrectationis metus; nec est, quòd doleat alterius inuidia mulieris, quòd eã videat clarissimo viro collocatam.

LX. *Virginitatem nullius indigere earũ rerum, quæ non sunt in nostra potestate.*

tam. non enim quisquam similis, aut par eius viri est, neq; omnino qui ad eũ propius accedat. Nupta vero, etiam si diuitis, & potentis in primis hominis matrimonium teneat, aliam tamen inueniat cum viro nuptam, qui maiores opes habeat, & copias. nõ enim parũ superiorũ præstantia de ea voluptate detrahitur, q̃ ex victoria de inferioribus percipitur. sed auri, vestium, ac ciborum, aliarumq; rerum affluentia, & copia allicere animũ, ac trahere facile possunt. Sed quotaquæq; mulier his fruitur? maximam enim partem homines inopem, miserã, & laborioſam vitam viuũt, quôd si quędam sunt illarũ rerum participes, paucæ admodũ sunt, et quas facile numero persequi possis: & quidẽ illæ id faciunt prẽter Dei sentẽtiam. nemini enim, quemadmodũ supra demõstrauimus, in his luxurioſe viuere permissum est. Sed cõce

damus,

LXI. *Aureum ornatum plus timoris habere, quàm voluptatis.*

damus, hanc illis rerum copiam permissam esse, neq; prophetam, neq; Paulum quidquam statuisse contra delicias uxorum: quid lucri est in multis aureis ornamentis? nihil aliud omnino, nisi inuidia, nisi curæ, nisi formido non mediocris. neq; enim tum solum cum ea ornamenta in arca collocarint, neq; tantum cum nocte opprimuntur, solicitudine commouentur, sed, cum illis luce etiam exornãtur, eandem, vel grauiorem potius habent molestiam. etenim in balneis, & in cœtibus præsto sunt mulieres, quæ furta faciunt; atq;, vt illę non adsint, impelluntur in turba, & vrgentur ornatæ auro, vt nihil illis sentiẽtibus aureum interdum aliquod ornamẽtum excidat. itaq; multæ non ista modo, sed quæ maioris etiam pretij erant facta ex pretiosis gemmis, auulsa, ac delapsa monilia perdiderunt. Sed fac esse, vt nihil eiusmodi

modi sit timendum, & vt huius rei cura tollatur. Est, inquit, eum aspectum quispiam admiratus. at non eius est admiratio, quæ ornatum gestat, sed ornamentorum, cui sæpe etiã id vitio versum est, quòd præter dignitatẽ eum haberet ornatum. nam si formosa sit, naturalis nitor offenditur, quòd ille nimi⁹ ornatus, maximam partem adimens venustatis, ipsam formæ veritatem elucere non sinit. sin autem deformis illa, turpisq; fuerit, eo turpiorem reddit ornatus. deformitas enim semper, quantacũq; est, per se modo eminet, & apparet: cum vero vel gemmarum splendor, vel cuiuspiam alterius rei pulchritudo accesit, tum magis etiam ea turpitudo deformatur. nam & corporis nigrorem adhibitum margaritæ lumẽ multo magis obscurat, tanquam fulgor in tenebris: & vestium decor tum prauitatem oris longe deterio-

LXII. *Aurea ornamenta & formæ nocere, & augere deformitatem.*

rem facit; quippe qui formæ ſpeciem ex ſe conſiderari, & ſolam in exiſtimatorũ iudicium venire non ſinit, ſed adiuncto illo manu, & opere facto, eximiæq; pulchritudinis ornamẽto. qua ex re grauior calamitas accipitur, quòd in comparatione maior eius deformitas apparet. nam & veſtimenta diſtincta auro, & q̃ artificio eius generis fiunt, operum magna varietas, et reliquus omnis ornatus, tanquam generoſus, valens, & robuſtus athleta ſcabioſo, infami, & enecto fame aliquo proſtrato aduerſario, ſic illa oris oppreſſa opinione comptæ mulieris, ad intuendũ ſpectatores alliciũt. ſed vt mulierẽ magis rideãt, ornatum vero incredibiliter mirentur. At nullum eiuſmòdi eſt virginitatis ornamentum. non enim ornatæ virgini nocet, quippe qui nõ eſt corporis ornatus, ſed totus ad animam pertinet. quamobrem etiam, ſiue deformis ſit,

LXIII. *Qui ſit virginitatis ornatus, quæ ue pulchritudo.*

mis sit, formæ dignitas vndiq; adhibita facile tollit deformitatem: siue liberali, & egregia forma, pulchriorem reddit. non enim gemmæ, aut aurum, non vestium sumptus, nõ colorũ illic varietas, ac differentia, non omnino aliud eius generis, quod fragile, aut caducũ sit, est animarum ornamentũ; sed eorum loco ieiunia, nocturnæ sacrorum peruigilationes, modestia, comitas, paupertas, fortitudo, summissio animi, temperantia, & omnino omnium humanarum rerũ despiciẽtia. etenim eius oculus ita pulcher est, ita venustus, vt pro hominibus beatas mentes, & earum Dominum habeat amatorem. sic autem purus, & acutus, vt pro corporeis rebus species corporis expertes intueri queat: adeo mitis, & placidus, vt ne in eos quidẽ, q assidue iniuriã, et molestiã afferãt, cõturbetur, aut efferatur. qn etiã iucũde in eos;

ac ſuauiter intuetur. tanta autem virgo hæc grauitate circumfluit, vt vel intemperantes, cum ipſam diligenter aſpexerint, pudore erubeſcant, et proprium furorem remittant. ac, quemadmodũ honeſtæ mulieris miniſtram, & famulam vel inuitam dominæ mores, & vitã imitari oportet: ſic animæ, quæ tali ſapientia prædita ſit, ſenſus inſeruire neceſſe habet, & omnes ſuas appetitiones regere illius ratione motionũ. Etenim oculus, lingua, habitus, ingreſſus, & omnino omnia ad intimũ animæ ordinẽ cõformantur. &, vt vnguẽtum pretioſum, etiam ſi in vas infundatur, aera tamen ſuaui odore permulcet, neq; eos ſolum, qui intra eum locum ſunt, aut eiũs loci vicinos, ſed omnes, qui foris commorãtur, voluptate perfundit: ſic virginitas animæ, quaſi iucũdus odor ſenſibus circumfuſus, interiorem virtutem oſtẽdit.

appetitus

appetitus vero regit sic, vt illis singulis, quasi equis quibusdã, iniiciens aurea frę-na modestiæ, eos in sũma moderatione retineat. nihil enim neq; linguã absonum, aut absurdum effutire, neq; oculũ impudenter, aut suspicioſe intueri patitur, neq; omnino auribus quidquã, quod minus deceat, percipi sinit. De membris autem, & pedibus curæ est illi, ne dissolutus, aut mollis sit incessus, sed vt simpliciter quodam modo, & sine cura moueantur. atq;, omni vestium ornatu circũciſo, os assidue moderatur, ne solutior risus erumpat; immo vero, ne leniter arrideat: quin graue semper & austerum ostendit supercilium: atq; ita comparata est, vt lacrymas semper effundere, risum edere nunquam possit. Cum vero de lacrymis acceperis, nihil triste suspiceris: tantum enim illæ lacrymæ voluptatis habent, quantam mundi huius risus non

LXIIII. *Quæ propter Christum patimur, etiam si molesta sint, tamen voluptatẽ habere.*

habet. quod si non credis, accipe apud
Act. 5. Lucam quæ dicantur. Cum flagellis cę-
si fuissent, ibant Apostoli gaudẽtes à cõ-
spectu cõcilij. quanquã non ea vis ineſt
in verberibus; non enim voluptatẽ, aut
lætitiam, sed dolorem, & molestiam effi
cere solent. Fides autem in Christũ eam
vim habet, vt ipsam etiam rerum naturã
superet. quòd si verba, Christi causa
suscepta, pariunt iucũditatem: quid mi-
rum sit, si propter illum ipsum idem est
effectus lacrymarũ? ob hanc igitur cau-
Matth. 11. sam, quam arctam, & angustã viam vo-
cauit, eam deinde suaue iugum, & leue
onus appellat. natura enim res est, vt an-
te dixi, sed propositõ, speq; bona eorũ,
qui in illa perfecte versantur, leuior effi-
citur. itaq; illos, qui non latas, & amplas
vias, sed arctam, & angustam semitam
sibi delegerunt, alacrius multo prope-
rare videas. non quia non habeant mo-
lestiam;

moleſtiã; ſed quòd fortiores ſunt, quàm vt quidquam eiuſmodi detrimenti accipiant, cuiuſmodi alios perferre credibile eſt. Sunt vero etiam angores in hoc vitæ genere: ſed ſi cum coniugio conferantur omnia, non erit, quòd illos angores appellemus. Sed, quæſo, quid tale patitur virgo toto vitę tẽpore, quale in ſingulos ferme annos nupta, partus doloribus, & fletibus exercita perferre cogitur? tanta vero eſt eius doloris vis, vt in diuinis litteris ſeruitus, fames, peſtis, atq; alia huius generis intolerabilia mala hoc ipſo ſignificẽtur noĩe doloris. Deus quidem id mulieri ad pœnam, & ad execrationem dedit, nõ iam vt pareret, ſed vt cum labore, ac dolore pareret. In dolore, inquit, paries filios. à quibus virgo tum doloribus, tum execrationibus libera eſt. Nam qui eam à cõnubij deteſtatione liberauit, eorum etiam, q̃ connubium

LXV. *Quæ ex virgĩnitate laboriosa ſunt, cum doloribus connubij conferenda non eſſe.*

nubium consequũtur, expertem esse voluit. Sed mulis in foro circumuehi iucũdum est. inanis tantum superbiæ est, nihil præterea voluptatis habet ea circũuectio. & quemadmodum neque tenebræ sunt luce potiores: neq; constrictũ, quàm solutum esse præstat: neq; multis est melius, quàm nulla omnino re indigere: sic neque hæc mulis vecta meliori loco fuerit, quàm quæ pedibus iter facit. Sed omitto nunc molestias, quas ex iis rebus perferre est necesse. neque enim, quotiens vult, totiens ei domo egredi licet: quin etiam sæpenumero, cum, vt inde exeat, magna aliqua flagitat vtilitas, tanquam mendici, qui pedibus abscisis, quò vehantur, nõ habent: sic illa domi manere cogitur. quòd si vir forte mulos occuparit; deiectio animi, cõtentio, & magnũ silentium cõsequitur. Sin vero ipsa nihil in posterum prospiciẽs, id

LXVI. *Iucundius esse pedibus ire, quàm mulis circumuehi.*

ipsum

ipsum effecerit; relicto viro, in se conuertit iram eiusce rei, eandem se assiduo dolore cõficiens. quanto igitur præstat, pedum officio fugentem (ad id enim nobis illos Deus affixit) nam eiusmodi molestiam subire, quàm per eas delicias necessario totiens angi, frangiq; animo? Neque vero solum eas, quas dixi, causas habent domesticæ commorationis, sed tum etiam, cum ambo muli, alterue forte laborat ex pedibus, idem illis accidit. Cum vero fit, vt agantur in pascua, (fit autem id quotannis) multosque dies ibi pascãtur: rursum vel si necessaria aliqua, vt inde exeat, causa postulat, tanquam si constricta sit, ita domi se tenere necesse habet. Quòd si dixerit quispiã, sic à multitudine occurrentium esse liberam, nullumq; à notis hominibus fieri conspectũ, in quo erubescat: is mihi sane videtur ignorare, quę mulieri natura

& adimant, & afferant infamiam. nam siue in aperto, siue in operto sit, neutrũ horum efficitur: sed alterum facit intemperantis animi petulantia, alterum continentia, & verecundia. quamobrem multæ illo carcere liberæ vel in media multitudine, & foro euntes, non modo non accersunt vituperatores, sed suæ cõtinentiæ multos tum corporis habitu, tum incessu, tum vestitus simplicitate amatores habent. quas ob res in illis intimæ pulchritudinis splendor elucet. At non paucæ sunt, quæ se domesticis parietibus cõtinentes, infamiam contraxerunt. nam ei, quæ clausa sit, si modo id cupit, maior, quàm illis, quæ in publicũ prodeunt, petulantius, impudentiusque iis, qui intueri volũt, ostentandi fui facultas est. Verum ancillarũ multitudo forte iucũda est? nihil igitur est hac voluptate deterius. nam quot illæ sunt, totidẽ curis afficitur.

LXVII. *Famularum multitudinem habere molestiam.*

afficitur. singulis enim tum ægrotantib. tũ moriẽtib. perturbari, atq; angi necesse est. Sed hoc fortasse, & his etiã grauiora tolerabilia sunt, vt quotidianæ illæ, & vehementes cõtentiones, dum in ancillarum pigritiam inuehitur, dum fraudem perfringit, dum ingrati animi vitia tollit, dum reliquã omnino uitiositatem coercet. at id omnium grauissimum est, quod in huiusmodi ancillarũ turba maxime solet vsu venire: cũ vna aliqua forte in illo grege famularũ forma liberali, (id enim omnino in multitudine accidere necesse est: nam copiosi homines nõ id modo studẽt, vt multas habeãt ancillas, sed vt æque formosas) cum igitur cõtingit vnam aliquã in illis forma reliquis antecellere, siue ea dominũ specie et uenustate ad sui amorẽ attraxerit, siue nihil aliud potuerit, nisi quòd in sui admirationẽ adduxerit; victa domina pari in

dolore versatur, si minus ob eã causam, quòd vir ancillę cupiditate teneatur, certe ob eiusdem corporis pulchritudinẽ, & admirationem. Cum igitur, quæ per se pręclara videntur, & expetenda, tantas habeant solicitudines; quid de iis dicas, quæ molesta & acerba sunt? At nihil tale patitur virgo. nam ipsius domus ab omni perturbatione libera est. & omnis inde remotus clamor, ac velut in pleno tranquillitatis portu apud eam cuncta silentio continentur; ac silentio maior requies altera, qua præditus animus, tanquam nullam agens humani muneris partem, assidue cum Deo colloquitur, et illum intentius intuetur. Quare quis eam uoluptatem, quanti est, queat æstimare? aut cuius oratio eius animæ, quæ sic affecta sit, oblectationem possit exprimere? nullius vtique. at eius vim voluptatis tantum illi nouerũt, qui se oble-

LXVIII. *De quiete, ac trãquillitate, quæ virginitati ineſt.*

se oblectant cũ Domino; tantoq; ipsam præstare intelligunt, vt cum nulla alia iucunditate comparari possit. At multi vndique aspectus argenti valde delectat oculos. at quanto melius est in cælum suspicere, & multo maiorem inde voluptatis fructum percipere? quanto enim aurum stanno, atq; plumbo, tanto cælũ est auro, & argento, omniq; materie splendidius, atq; fulgentius. Et quidem hæc cęli contemplatio â curis libera est: illud vero spectaculum cum summa solicitudine coniunctum, quod ex omni parte cupiditates maxime corrumpit. At tibi non libet intueri cęlum; licet uero argentum spectare in foro collocatum. quæ ex diui Pauli sententia dico, ut vos pudeat, quando sic inhiatis pecunię cupiditati. At, quid dicam, nescio. magna enim hic mihi accidit dubitatio; neque dispicio, quãobrem omne fere ho-

minum genus, cum illis facilem, et iucũdam vitam ducere liceat, vel ſolicita, & anxia maxime capiatur. Quid autem cauſæ eſt, quòd non tam eos in foro poſitum, quàm quod domi habent, argentum delectat? atqui ſplendidius illud eſt, & ab omni cura vacuum animum relinquit. quòd, inquit, forenſe illud meum nõ eſt, domeſticum vero hoc proprium meum. Cupiditas ergo eſt, non argenti natura, quæ voluptatem habet: nam ſi id ita ſit, forenſi etiam illo æque delectari oportuit. Quòd ſi vſus cauſa iſta dicis: vitrum eſt multo melius; idq; è diuitum ſententia, qui ſibi maiorem partem ex ea materie pocula comparant. Sin vero elati ſuperbia, illa ipſa ex argento facere cogantur: primum intus vitro conflato, ſic illud argento circundãt poculum, vt vitrum interius poſitum ad potionis ſuauitatẽ, & cõmoditatem, circũdatum

vero

vero argentum ad ostentationem tantum, ac superbiam esse ostendant. Sed quænam est rei summa? meum & non meum: quæ cum diligentius considero, verba tantū inania esse video. sunt enim multi, qui vel in vita deserentē se possessionem retinere nō possunt. quòd si qui vsq; ad mortem illa seruarint, ipsis tamē, velint, nolint, morte exturbabūtur. neque modo in argento, & auro, sed in balneis, & in hortis, ædibusq; meum illud, & non meum, verba tantum esse omnes intelligant. nam eorum vsus est communis omnium. qui vero rerum illarū domini videntur, plus inde, quàm qui non sunt, habēt molestiarū: bonis enim modo fruūtur alij; hi vero cum summa earū rerum cura tantundē inde capiūt, quantū ceteri sine ulla solicitudine. Quòd si quispiā magnā luxuriē admiretur, veluti dissectę carnis uim, superuacaneū uini sumptum,

LXIX. *Sumptuosas mēsas magnarum molestiarum refertas esse.*

ſumptum, exquiſitas ciborum delicias, eorum, qui cõuiuia inſtruunt, piſtorum, cocorum artificia, paraſitorum, & conuiuarum turbam; ſciat is, copioſos homines in iis rebus non eſſe meliore conditione, quàm cocos ipſos. nam vt illi dominos, ſic hi verentur eos, quos inuitarunt, ne quid videlicet eorum improbent, quæ magno labore, ac ſumptu ipſorum cauſa apparauerunt. & hac quidem re cũ ſeruis pares ſunt; reliquis uero ſuperant illi. non enim accuſatores modo, ſed inuidos etiam extimeſcunt. nam ſæpe ab huiuſmodi conuiuiis multæ ortæ inuidendi cauſæ, non prius ſublatę ſunt, quàm illos homines in extremum diſcrimen adduxerint. At multũ cibi capere ſæpenumero iucundum eſt. minime vero. etenim tum, cum ebrietates, & ventris intentiones, et ſpiritus anguſtiæ, & tenebræ, & vertigines, & oculorum

lorum caligo, & alia his etiam grauiora mala ab huiusmodi luxuria progignuntur, quam inde capiemus voluptatem? Atq; vtinam hic in singulos dies finis sit molestiarum, turpitudinis, & incommodorum. nunc vero maxime ab istis mẽsis morbi insanabiles ortum habẽt. nam & pedum dolores, & tabes, & sacer morbus, & dissolutiones neruorum, & conuulsio corpus obsessum tenent, dum extremum spiritum reddas. quis igitur hęc mala vlla harum rerum voluptate compensari posse dixerit? At non est frugalitas eiusmodi. quin ea lõge abest ab his incommodis, sanitatis, & bonæ valetudinis effectrix, quam potiorem esse reperies, quàm luxuriã. Ac primum quidem ipsa tenuitas victus valetudinem tuetur, neq; vllis ex illis malis perturbatur, quorum per se singula omnem extinguere voluptatem, ac tollere fundi-

LXX. *Et vtilius, & iucundius esse sobrie, quàm luxuriose viuere.*

tus possunt. deinde cibis ipsis comprobatur. quo modo? quia cibi auiditas est efficiens voluptatis; auiditatẽ vero non expletio, aut satietas gignit, sed inopia, & indigentia. at hæc in illis copiosorum conuiuiis non sunt, inopum vero cibis semper adsunt: quæ plus illis suauitatis instillant, quàm mensarum conditores, aut coci propositis epulis aspergere soleant. diuites enim neq; exurientes cibũ capiunt, nec bibunt sitientes; ac, priusquam somni vis illis dormiendi necessitatem afferat, cubitum eunt: hi vero prius horum omnium indigentes, sic illis vtuntur: quod quidem est ad voluptatem maximum. quid enim, quæso? Salomon hisce verbis serui somnum iucundum appellat? Dulcis est somnus seruo, siue is parum, siue multũ comedet. num propter lectum molliter stratum? atqui sternũtur humi, vel super paleas maiorẽ partem.

Eccle. 5.

partem. an propter libertatẽ? at ne temporis quidem punctum illis liberum est. an propter otium? at laboribus, & ærumnis conficiuntur assidue. Quid tandẽ igitur illud est; quod somnum suauem efficiat? labores, & quòd coacti prius necessitate, sic illi somno se dedunt. diuites uero, nisi eos vino plenos nox oppresserit, noctẽ peruigilare, & in mollibus lectis versare se in omnes partes, & iactari coguntur. Possum & alia ratione delicatorum conuiuiorum molestiam, incommoda, ac turpitudinẽ cõmemorare persequendis iis malis, quæ longe plura, & grauiora, quàm sint corporis morbi, animis inurunt. Etenim & molles, & effeminatos, & audaces, & ventosos, & intẽperantes, & contumelioſos, & procaces, & iracũdos, & crudeles, & ignauos, & auaros, & sordidos, & omnino tales homines reddunt, vt neq; vtilibus, neq;

LXXI. *Animam etiã lædi luxuria.*

necessariis rebus gerendis sint accommodati. quibus contraria omnia frugalitas efficit. Verum ad alia nostra festinat oratio. Quamobrem, illo tãtum addito, Apostoli verba rursus attingemus. Nam si quæ videntur expetenda, tantorum malorum referta sunt, tantãque quasi niuium, sic morborum vim important & animo, & corpori, quo loco, quę sunt molesta, dominorum terrores, populorum impetus, calumniatorum, & inuidorum insidias reponemus? Hæc enim diuites maxime circumstant; in quibus mulieres, quòd eiusmodi cõmutationes fortiter ferre non possunt, plus etiam mali habere necesse sit. Quid dico mulieres? etenim huiusmodi rebus viri ipsi misere capiuntur. nam qui sobrie viuit, nullum casum extimescit; qui vero mollis illius, & profusæ vitæ sumptibus exhaustus est, si quando casu, vel vi ali-

LXXII. *Luxuriã præter alia mala, intolerabiles præterea uitæ cõmutationes afferre.*

vi aliqua ad inopiam compulsus fuerit, quod nihil antea tale cogitarat, expertus ue fuerat, morietur potius, quàm eã mutationem perferat. itaq; diuus Paulus, Tribulationem, inquit, carnis habebunt huiusmodi: ego autem vobis parco. Atque illud idem adiungit, Tempus breue reliquum est. Sed dicet fortasse quispiam, Quid ista ad coniugium? Immo vero ad ipsum maxime pertinent. si enim huius vitæ finibus terminatur matrimonium, & vbi è vita migrarint, neq; nubent, neq; vxorẽ ducent, & hoc tempus ad finem properat, & dies resurrectionis in limine adest, nõ est nuptiarum tempus, aut copiarum, sed inopiæ, & totius eius cogitationis, ac rationis, quæ nobis illic profutura sit. nam quẽadmodum virgo, quàm diu domi est apud matrem, versatur in magna cura rerum omnium puerilium, & arcula in

1. Cor. 7.

LXXIII. *Præsens hoc tempus nõ esse coniugij.*

cubiculo collocata, iisq; obsignatis, quę sunt ibi recondita, clauem seruat ipsa, & omnem earum rerum potestatem habet, tantamq; suscipit parua illa, & vilia custodiendi curam, quantam illi habere solent, qui maximas familias administrant; cū vero nubilis est, ac nupta iam è paterna domo cogitur discedere, tum ab illa tenuitate, & humilitate liberata, rerum, mancipiorumque multitudinis, viri curam, aliaq; his multo maiora suscipere necesse habet: sic nos etiam facere oportet; vt, cum ad perfectam vitam, & viro dignam perducti simus, relictis in terris ludis omnino omnib. puerilibus, de cælo, de cælestis illius consuetudinis splendore, deq; omni gloria cogitemus. desponsi enim sumus & nos viro, qui eo nos in se amore esse vult, vt non modo terrena, & parua hæc, leuiaque relinquamus, sed è vita etiam, si opus fuerit,

eius

eius causa discedamus. Quare cum illud reliquum sit, vt eò nos venire oporteat, curarum leuitatem dimittamus. neque enim ex tenui domo migraturi in Regiam, de testis, ac lignis, deq; supellectile, ac reliqua domestica tenuitate laborabimus. Ne igitur nos, ne inquam iam terrena curemus. dies enim iam nos vocat ad cælum, quemadmodū diuus Paulus scripsit ad Romanos. Nunc enim propior est nostra salus, quàm cum credidimus: nox præcessit, dies appropinquauit. & iterum is, Tempus breue reliquum est, vt & qui habent vxores, sint tanquam non habentes. Quid igitur iis coniugio opus est, quibus frui non liceat? vel quos potius æque affectos esse oporteat, atque eos, qui coniugia non attigerunt. Quid pecunia nobis? quid possessiones opꝰ sūt? quid, q̄ ad vitā pertinēt, si inopportunꝰ est, & intēpestiuus

Rom. 13.

1. Cor. 7.

earum

carum rerum vsus? nam si, qui ad iudicium in terris sunt affuturi, vt suorum delictorum rationem reddant sub ipsam iudicio dictam diem, omni non solum vxoris, sed cibi, & potus cura dimissa, vnum illud cogitant, quo modo se tueri possint: multo magis nos, qui non ad terrenum aliquod iudicium, sed ad cæleste tribunal affuturi sumus, vt singulorum & dictorum, & factorum, & cogitationum rationem reddamus, ab omni terrestrium rerum tum lætitia, tum tristitia abstinere oportet, & formidolosum illum diem modo cogitatione com

Luc. 14. plecti. Nam si quis, inquit, venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem, & vxorem, & filios, & fratres, & sorores, adhuc & animam suam; non potest meus esse discipulus: & qui non tollit crucem suam, & venit post me, non potest meus esse discipulus. Tu mulierum libi-

dinibus

bidinibus, risui, conuiuiis intemperanter indulges? at Dominus adest. Tu pecuniam curas, deque illa solicitus es? at cæleste regnum impendet. Tu de familia, de luxu, de aliis voluptatibus cogitas? at præterit figura mũdi huius. Quid igitur est, quamobrem te conficias cura terrenarum rerum, quæ & inanes, neq; stabiles sunt; ea negligas, quæ & sunt, & eorum est firma possessio? Non est postea coniugium, non dolores, aut voluptates, non corporum coniunctio, non pecuniæ copia, non cura possessionum, non commeatus, non vestes, non agricultura, neq; nauigatio, non artes, neq; ædificia, non oppida, non domus; sed alia rerum conditio, aliud viuendi institutum. Hæc autem mox interibunt omnia. nam eã vim habet id, quod dictũ est, Præterit figura mundi huius. Quid igitur, tãquam omnium hic sæculorum 1. Cor. 7.

ætates victuri, studium omne præ nobis ferimus, eam rerum curam suscipientes, quas ante vesperum plerunq; deserimus? quid laboriosam vitam deligimus, si nos ad tranquillitatem Christus inuitat? Volo enim, inquit, uos sine solicitudine esse. qui sine vxore est, solicitus est de iis, quæ Domini sunt. Sed quo modo nos cura vacuos esse vis, si nouam rursus nobis iniicis solicitudinem? quia nõ est ista solicitudo; quemadmodũ etiam, in angore esse Christi causa, non est angi; nõ quo rerum natura commutetur; sed eorum proposito, qui talia libenter ferunt, & rerum vim superant. nam qui de illis rebus laborat, quibus ad exiguũ tempus, aut sæpe ne ad exiguum quidẽ fruetur, recte is dicatur esse solicitus. qui vero maiores, quàm illæ sint curæ, fructus inde est percepturus, cum iis, qui sine cura sunt, iure omnino numerandus

1. Cor. 7.

LXXIIII. *Quid sit, quãobrem, cũ velit nos sine solicitudine esse, iubeat esse solicitos.*

dus est. Adde etiam, quòd tantum inter vtranque solicitudinem interuallum est interiectum, vt hæc cum illa comparata, solicitudo putanda non sit: vsq; eò tũ expeditior, tum facilior est. Atq; hæc omnia iis, quæ ante dicta sunt, demonstrauimus; qui sine vxore sit, eum de iis solicitum esse, quæ Domini sunt; qui autem sit cum vxore, de iis, quæ sunt mundi. At hic præterit, ille permanet. itaq; non est hoc satis, ad virginitatis dignitatem demonstrandam: quantum enim inter Deum differt, & mundum, tantum inter eas curas, quæ de vtroque suscipiuntur, interest. Quid igitur est, quòd nobis concedis coniugium, cuius causa & astringimur curis, & â spiritualibus rebus abducimur? Propterea dixi, inquit, vt, qui habent vxores, sint tanquam non habentes, vt, qui matrimonio iuncti vel sint, vel futuri

sint, nodum illum alia quadam ratione laxiorem faciant. cum enim semel constricto tibi vincula rumpere non liceat, mollioribus illis vtere. possumus enim, si volumus, & omnia, quę superuacanea sunt, circumcidere, & iis curis, quas coniugij natura parere solet, nostram segnitiam non adiungere. Quòd si quis, quid tandem sit, habentem vxorem, non habere, liquidius cupit intelligere, animad uertat, quo modo cum illis agatur, qui cupiditates suas cruci affixerunt. Quo modo autem cum illis agitur? non ancillarum multitudinem emere coguntur, non aurea ornamenta, non monilia, non luculentas, & amplas domos, non agri infinita iugera; sed, iis omissis omnibus, de vno earum vestitu & victu laborant. licet etiam viro vxorem in hanc vitæ rationem inducere. nam, quod supra dictum est, Nolite fraudare

LXXV. *Quid sit habẽtem vxorem non habere.*

vos inuicem, tantum ad corporum coniunctionem pertinet. in iis enim, vt vterq; alteri obsequatur, imperat, ac neutrum sui iuris esse sinit. vbi vero colendum sit aliud vitæ institutum in vestitu, in victu, in aliis omnibus, non, quod alter facit, item alteri præstandum est. Atq; viris ad suum arbitrium, vel inuita vxore, omnem luxuriam, concursumq; circumfluentium curarum circumcidere licet. nulla item vxori, si nolit, necessitas imponitur ornatus, inanis gloriæ, nulla superuacanearum rerum cura. iure id quidem. est enim ille naturalis quidam appetitus; & propterea magna in eo ad ignoscendum venia dari solet. neque alterum inuitum fraudare alterutri liberum est. deliciarum vero, ac superuacanei cultus, insanæque cogitationis cupiditas minime à natura commouetur, sed à desidia, summaq; nequitia or-

tum habet. Quamobrem nullam in his rebus, id quod in illis vim affert coniugibus, vti inter se necessaria seruitute obstringantur. itaque hoc illud est, quod dixit, eum, qui haberet vxorem, non habere, cum superuacaneas curas à nequitia, deliciisque ortas, vxorum causa non suscipimus, sed tantam earum accessionem facimus, quantam in vnius animæ nobiscum coniunctione, & eius, quæ sobrie, continenterque viuendi rationem delegerit, nos facere par est. Hanc enim esse Pauli sententiam, id ipse ordine orationis ostendit, Et qui flent tanquam non flentes, & qui facultatibus gaudent, tanquam non gaudentes. nam qui non gaudent, neq; de rerum possessione laborabunt. & qui non flent, neque inopiam horrere possunt, neque ab eo, quod ad vitam traducendam satis sit, abhorrere. hæc est vis

illorum

illorum verborum, Habere vxorem,& non habere, mũdo vſum, & nõ abuſum eſſe. qui autem ducit uxorem, eſt de terrenis rebus ſolicitus. Cum igitur vtraq; conditio ſolicitudinem habeat, & hæc quidem temere, ac ſine cauſa, quinetiã cum dolore coniũcta ſit: Carnis enim, inquit, tribulationem habebunt eiuſmodi; illa vero in bonorum inexplicabiliũ cogitatione verſetur, quid eſt, quòd hãc potius curam, quæ tot, tantisque bonis compenſatur,& eſt natura, quàm illa facilior, non deligimus? Qua enim ſolicitudine, quæ non nupſit, afficitur? num pecuniæ? num ſeruorum? aut eorum, qui domeſticas res tuentur? aut agrorũ? aut aliarum rerum? an cocis præeſt, aut textoribus, aut reliquo ſeruitio? minime uero, nihil eiuſmodi cogitat: ſed tantũ id curat, quo modo animã ſuam inſtruere, quo modo ſanctũ illud templũ exornare poſsit;

posſit; non iam capillis intexendis auro, vel margaritis, non frictionibus, aut pigmentis, non alio incommodorum, aut nequitiæ genere, ſed tum corporis, tum ſpiritus ſanctitate. Nupta vero cogitat, inquit, quomodo viro placeat. in quo ſapienter admodum non eſt aggreſſus earum rerum inueſtigationem: neque illud commemorauit, quàm multa in ſtudio ineundæ à viris gratiæ vxores & corpore, & animo patiantur, dum illud torquent, oblinunt, aliis malis conficiunt; hunc illiberalitate complent, aſſentatione, ſimulatione, ſummiſsione, ſuperuacaneis, & inſanis curis. Sed hæc omnia, vnius verbi ſubobſcura ſignificatione inuoluta, auditori intelligenti relinquit æſtimanda. atq; ita præſtantiam virginitatis oſtendens, & eam ad cælum ipſum extollens, veritus omnino, ne quis illud iuſſum exiſtimet, rurſus ad

id

id transfert orationem, vt concedat coniugium. quamobrem non est priori cohortatione contentus, sed, Præceptū, inquit, Domini non habeo; &, Si nupserit virgo, non peccauit; hoc loco etiam, Hæc autem dico, non vt laqueum vobis iniiciam. Quamobrem aliquis illud iure quæsierit, quid sit, quòd, cū vinculorum solutionem superius appellasset, & eam se nobis vtilitatis nostræ causa suadere dixisset, & ne molestiam haberemus, & vt essemus sine solicitudine; cumque nobis peperciisset, & per ea omnia expeditam, tolerabilemque rem ipsam ostendisset, nunc illud adiiciat, Non vt vobis laqueum iniiciam? quid autem id est? num virginitatem laqueū appellauit? minime. sed virginitatis cultum vi, & necessitate susceptum. Etenim res se sic habet: quod quisque coactus onus suscipit. & contra suam volun

LXXVI. *Virginitatem nō esse laqueum, sed nostrā id esse desidiā.*

tatem, quamuis id leue sit, omnium fit grauissimum, & pressu grauiore, quàm laqueus faceret, nostrã suffocat animã. itaq; illud dixit, Non vt laqueum vobis iniiciam. quod hanc vim habet: Ego bona virginitatis enumeraui, ac demon strauí omnia: quæ licet ita sint, volo tamen, totum vti vestrum rei sit arbitriũ: non inuitos traho ad virtutis studium: neq; enim, vti vos excruciarem, id consilij dedi, sed ne terrenarum rerum cura honesta assiduitas interpelletur. Verũ hic, quæsõ, Pauli prudentiam considera; quo modo rursum indulgentiæ subiiciat admonitionem, & consilium adiungat. nam quod inquit, Nõ cogo, sed suadeo; quod præterea addit ad id, quod honestum est, & quod facultatem præbeat sine impedimẽto Dominũ obsecrandi, eo & virginalis castitatis admirabilitatem, &, quantum ex ea vitæ ratione

fructum

fructum caperemus, ostendit, quæ in rerum diuinarum meditatione versetur. neque enim, quæ terrenis, & vndequaq; distrahentibus curis implicata est, propter omnem & studij, et temporis rationem in tam multas res distributam, veluti in viri, & in familię curam, aliorumque omnium, quæ coniugium contrahere solet, rite, continenterq; Deo preces facere potest. Quid igitur? inquit, virgo multa pertractans, & iis, quæ ad vitam pertinent, distẽta curis, quæro, an virginitatis laudem retineat? minime. nam istam ab harum virginum choro excluisti. neque enim illud, Non nupsisse, virginem constituit; sed ad id præterea opus est animæ integritas, integritas, inquam, ea, quæ non solum prauis, ac turpibus voluptatibus, ornatu corporis, reliquisq; rebus superuacaneis vacua sit, sed terrenis etiam curis libera.

LXXVII. *Mulierẽ, quæ de terrenis rebus solicita sit, virginem non esse.*

nam nisi ea sit, quid illis prosit castitas corporis? quãti enim est, virginem corpore puram esse? vt enim eo milite nil turpius esse queat, qui, abiectis armis, in caupona cõterit otium: sic nullum virgo maius dedecus concipere potest, q̃ si terrenis curis incubuerit. etenim quinque illæ & lampades habebãt, & virginitatem coluerant: at neutrum eis profuit, sed, clausis ianuis, excluſæ perierũt. Etenim propter ea virginitas etiam bonum est, quòd omnem extirpat ex animo causam inanium curarum, & hominem inducit, vt totum dicet studium suum diuinis operibus. quòd si non ita sit affecta virgo, longe ea sit nuptis inferior; quippe quæ spinas circumfert in animo, quibus purum, ac cęleste semen opprimitur. Si quis autem, inquit, turpem se videri existimat super virgine sua, quòd sit superadulta; & ita oportet fieri: quod

ri: quod vult, faciat: non peccat, nubat. quid dicis, quod lubet, faciat? nec rationem dirigis deprauatam? sed concedis coniugium? quid est, quòd non dixisti: si quis virginis suæ causa de se male existimari putat, miser est, & infelix, qui rem adeo admirabilem turpissimã credat? qui non hominem ab eiusmodi suspitione liberasti, & ei fuisti auctor, vt filiam connubio arceret? quòd inquit, infirmæ admodum erant huiusmodi animæ, & humi defixæ; quæ sic affectæ, ad virginitatis rationem statim compelli non possent. qui enim vsque eò incubat terrenis rebus, & hãc vitam admiratur, vt, quod cælo dignum est, & prope accedit ad institutum angelorum, post tantã cohortationẽ id probrosum putet; quo modo consilium, quòd eò impelleret, tulisset? Quid vero mirum, id Paulum in re cõcessa feciſſe, siquidem in vetito,

LXXVIII. *Quid sit, quòd vehementius nõ accuset eũ, qui super virgine sua turpem se videri existimet. 1. Cor. 7.*

& in eo, quod contra legem est, rursum id facit: exempli causa, in cibis nimis esse religiosum, & hoc maximũ statuere, illud eiicere, Iudaicæ erat infirmitatis. Veruntamen in hominibus Romanis quibusdam eadem erat infirmitas: quos non modo vehementius non accusauit, sed etiam aliud quiddam eo maius adhibuit. nam, iis dimissis, qui peccassent, eos, qui illa prohibere conantur, hisce
Rom. 14. verbis obiurgat: Tu autem quid iudicas fratrem tuum? At non id egit cũ ad Colossenses scriberet, sed & magna auctoritate illos reprehendit, & ita apud eos-
Coloss. 2. dem philosophatur; Nemo vos in potu, & cibo iudicet. & rursũ, Si mortui estis cum Christo ab elementis huius mundi, qui adhuc tanquam viuentes in hoc mundo decernitis? ne tetigeris, neq; gustaueris, neque contrectaueris. quæ sunt omnia in interitu ipso vsu. Quidnam igitur

igitur tandem id facit: quòd illi valentes erant; Romanis autem magna pręterea opus erat indulgentia. nam expectauit, dum fides prius hæreret in eorũ animis, veritus, ne, si citius, quàm rei tẽpus, aut maturitas veniſſet, ad zizaniæ fibras euellendas acceſsiſſet, ſalutaris diſciplinæ ſemina vna cum radicibus extirparet. Quamobrem neq; eos accuſat acerbius, neq; ſine obiurgatione dimittit, tantum perſtringit, ſed obſcure, & vt nullam res habeat ſuſpitionem reprehenſionis, quã cum aliorum obiurgatione coniungit. Illud enim, Domino ſuo ſtat, aut cadit, reprimere quidem videtur obiurgatorem: re autem huius pungit animũ, oſtẽdens eiuſmodi inſtitutum non eſſe firmorum, aut ſtabilium hominum, ſed eorũ, qui iactantur adhuc, & incõſtantes in periculo ruinæ verſantur. quã hic etiã cõſuetudinẽ ſeruat propter ſummã

eius

eius infirmitatem, quem rei pudet; non enim in ipsum aperte inuehitur, sed illo laudando, qui suam seruet virginem, grauem eidem ipsi plagam infligit. quid enim inquit is? Nam qui statuit in corde suo: quod quidem ad eius differentiam dictum est, qui cito, & facile in hanc, & in illam partem rapitur, vestigiumque firme vsquã imprimere, et cõstanter admodũ stare nescit. quæ cum deinde verba ad illius lacessendum animum satis ponderis habere intelligeret, vide, quo modo rursum afferenda causa, non ita reprehensione digna id ipsum obscurarit. nam cum inquit, Qui statuit in corde suo firmus, illud adiunxit; Non habens necessitatem, potestatem autem habens. Atqui illud consentaneum erat dicere, qui statuit firmus, neq; rem turpem esse existimat. At id erat acerbius. Quamobrem pro eo lenius, ac mitius

aliud

aliud adhibuit, & vtre mitigata magis ad hanc causam accessit. neq; enim tam graue est rē necessitate, quàm proposito dedecore prohibere. nā hoc imbecilli & miseri animi est; illud & peruersi, & qui de rerum natura recte iudicare non possit. Sed nondum bene maturum erat eum inferre sermonem. non enim vrgente necessitate, eam impediri oportere, quæ virginitatem colere instituerit, sed contra potius omnibus, quæ pręclarum hunc impetum interrumpant, fortiter occurrere, ex Christi oratione cognosce. Qui amat patrem, & matrem *Matth. 10.* plusquam me, non est me dignus. Nam cum aliquid eorum, quæ Deo probantur, efficimus, quicunque id prohibuerit siue pater, siue mater, siue quiuis, is inimicus, & hostis esto. Sed Paulus ferens adhuc auditorum imperfectam rationē,

scripsit in hanc sententiam: Qui autem statuit in corde suo firmus, non habens necessitatem. neq; vero hic terminauit orationem; atqui non habens necessitatem,& potestatem habẽs, idem est; Sed tum longa oratione, tum perpetuitate concessorum, eos, quorũ esset simplex, & parua ratio, consolatur, iis, quæ dicta sunt, aliam præterea causam adiungens, Qui iudicauit in corde suo. neque enim liberũ esse, satis est; neq; ob id solũ debet; sed tum, cum delegerit, & statuerit, recte facit. deinde, ne propter summam indulgentiam nullum putes esse interuallum, rursum discrimen ponit, & quidem id ipsum reprimẽs hisce verbis, Igitur & qui matrimonio iungit virginem suam, bene facit; & qui non iungit, melius facit. quo tamen loco quàm id præstet, ob eam rursum causam, minime declarauit.

declarauit. Quòd si id scire vis, Christum loquentem attende. Neq; nubent, neq; vxorem ducent, sed sunt sicut Angeli in cælo. vide interuallum, quàm in excelsum locum virginitas, cum eiusmodi est, mortale corpus extollat. Qua enim, quæso, re differebant ab Angelis Helias, Helisæus, Ioannes, veri hi virginitatis amatores? nulla; nisi quòd mortali natura constabãt. nam cetera, si quis diligenter inquirat, hi nihilo minus affecti reperientur, quàm beatæ illæ mentes: & id ipsum, quo inferiore conditione videntur esse, in magna est eorũ laude ponendum. vt enim terrarum incolæ, & ij, qui essent mortali natura, possent ad illam virtutem vi, & contentione peruenire, vide, quanta eos fortitudine, quanta vitæ ratione præditos fuisse oporteat. Virginitatem autẽ fuisse,

LXXIX. *Nulla re inferiorem Angelis fuisse Heliam, & qui eius similes fuerunt: et virginitatem fuisse, quæ tales reddiderit.*

quæ tales eos reddiderit, ex eo perſpicuum eſt. nam ſi vxores habuiſſent, & liberos, haud facile adducti eſſent, vt & in ſolitudine viuerent, & ſuas familias contemnerent, & reliqua, quæ neceſſaria eſſent ad vitam, non cõpararent. Nunc vero his omnibus ſoluti vinculis, tanquam in cælo, ſic in terris diuerſantes non parietibus, non tecto, non lecto, nõ menſa, non aliis eius generis rebus indigebant, quin illis cælum erat pro tecto, ſolum pro ſtrato, pro menſa ſolitudo, & quæ ſterilitas ſolitudinis, aliis famis effectrix videtur, ſanctis illis viris ſuppeditabat rerum omnium copiam. nam ipſis neq; vitib. erat opus, neq; torculari, neq; frugibus, neq; meſſe, ſed vberem, & ſuauem potum fontes, fluminaq; & ſtagna prębebant. Inſtruxit autem angelus vni menſam admirabili quodam, & incredibili

dibili apparatu, supraq; hominum consuetudinem; Vnus enim panis satis fuit, inquit, ad quadraginta dierum tolerandam inediam. Alterum autem sæpius aluit Spiritus sancti gratia, admirabilia opera facientem, neque eum modo, sed etiam per eum alios. Qui vero plusquã propheta fuit, Ioannes, & quo non surrexit maior internatos mulierũ, humani cibi non indiguit: non enim pane, non vino, non oleo, sed vitam locustis, & silueſtri melle tolerabat. Vidisti in terris angelos, vidisti virginitatis vim, homines sanguine, & carne coagmentatos, & in terris vestigium facientes, & mortalis naturæ necisitati subiectos, vt illi corporis expertes, vt cęlum iam adepti, vt immortalitatem sint consecuti, ita te compara, vt ista omnia efficias. Cuncta enim illis erant superuacanea, & nõ *Matth. 11.*

LXXX. *Quid sit honestum, & assidue decorum esse.*

modo quæ per se superuacanea sunt, vt deliciæ, opes, potentia, gloria, & reliqua horum corona somniorum, sed illa etiam, quæ videntur necessaria, & domus, & oppida, & artificia. hoc est honestũ, & assidue decorum esse. hæc est virginitatis virtus. Admirabilis enim res est, & maximis digna præmiis tum in libidinis rabie victoria, tum in furore naturæ continẽtia; sed ita admirabilis, si hæc adsit vitæ ratio. nam ipsa per se imbecilla est, nec satis ad illos conseruandos, qui ea præditi sint. ac nobis eius rei testes esse possunt, qui vel hodie virginitatem colunt; tantum enim absunt ab Helia, ab Helisæo, ab Ioanne, quantum terra distat à cælo. vt enim si honestam assiduitatem sustuleris, ipsos virginitatis neruos excideris, ita si ipsam cum optima vitæ ratione colueris castitatem,

tem, radices & fundamentum bonorum possederis. quemadmodum enim stirpes solum fertile, & opimum, sic præclarum viuendi institutum virginitatis fructus alere solet. quin etiam radix, & fructus virginitatis est vita, quæ cruci consentanea sit. Hæc generosos illos viros in admirabilem viam deduxit. nam eos, omnibus circumcisis vinculis, vti liberis, leuibusque pedibus tanquam aues ad cælum volarent, dimisit. vbi enim neque vxoris famulatus, neque cura liberorum, ibi est summa inopiæ facilitas. nos vero non modo terroribus, curisque, aut periculis, sed aliis omnibus difficultatibus liberatos, inopia proxime tollit ad cælum. Nam cui nihil est, tanquam si adsint omnia, sic is cuncta despicit, magnaq; & in Principes, & in potentes, & in eum, q. diademate

LXXXI. *Quantum sit bonum inopia.*

diademate ornatus sit, loquendi libertate vtitur. pecuniam vero qui spernit, is recta progrediens, mortem etiam facile contemnit; atque iis excelsior nihil timẽs, aut tremens, liberius loquitur apud omnes; qui vero pecuniæ operam dat, is non modo seruus est pecunię, sed opinionis, honoris, huius vitæ, omniũ deniq; (vt verbo complectar) mancipium est eorum, quę ad vitam pertinent. quãobrem ipsam malorum omnium radicẽ Paulus appellauit. Sed virginitas potis est & hanc radicem exurere, & egregiã alteram animis nostris inserere, quę fruticetur, & bonorum omnium fructus edat, libertatem, licentiam, ardens cęlestium bonorum studium; terrenarum vero rerum omnium contemptionem; & ita honesta, & decora fit assiduitas. Sed quęnam est ista sapiens oratio multitudinis?

titudinis? Abraham patriarcha, inquit, vxorem habuit, & liberos, copias præterea, greges, & armenta, & tamen Ioannes tum Baptista, tum Euangelista vterq; virgo; Petrus præterea, & Paulus continentiæ laude florentes, vt in illius sinum veniant, deprecantur. quis vero tibi id dixit vir optime? num propheta, num euangelista? Christus inquit ipse. nam cum in centurione summam esse fidem vidisset, ait, Multi venient ab oriente, & occidente, & recumbent cum Abraam, Isaac, & Iacob. Lazarus etiam vna cum illo in deliciarum abundantia à diuite videtur. Sed quid id ad Paulum? quid ad Petrum? quid ad Ioannem? nam neq; Lazarus, neq; Paulus, neque Ioannes, neq; multi ab orientis, & ab occidentis solis partibus cætus erant Apostolorum. quamobrem nobis ista superuacanea est,

LXXXII. *Contra eos, qui dicunt, virginitatis cultores precari, vt in sinum Abrahæ perueniant.*

Luc. 13.

nea est, & inanis oratio. Quòd si omnino scire vis, q̃ sint præmia Apostolorũ,
Matth. 19. ex illo cognosce, qui ea daturus est. Amen dico vobis, quòd vos, qui secuti estis me, cum sederit filius hominis in sede maiestatis suę, sedebitis & vos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel. Neque vsquã hic Abraam, neque eius, neq; filij filius. nusquam ibi sinus, vbi illi recipiantur; sed multo maior honos eis habebitur, quippe qui sedentes de illorum posteritate iudicabunt. Nec vero hoc solum inter eos cõstat esse discrimen, verum quod Abraam adeptus est, id multi assequentur. Multi enim, inquit, venient ab oriente, & occidente, & recumbẽt cum Abraam, Isaac, & Iacob, in sellis autem illis tãtum sedebit sanctorum virorum chorus, præterea nemo. Num igitur, quæ-

so, etiam

so, etiam nunc ouilia, armenta, nuptias, liberosq; meministi? Quid ergo id est, quod multos virginitatis cultores tanto effuso sudore, precibus petere dicit, vt in eum locum perueniant? Ego vero illud adiungam, non paucos ex iis, qui virginitatem coluerint, neque sinum illum, neque multo minora assecuturos, sed in ipsam geennam peruēturos esse. ac virgines id illæ ostendunt à thalamo exclusæ. num igitur coniugium est propterea virginitati par? an hæc etiam illo deterior? ipsam enim tuo exemplo inferiorē facis. Nam, si, qui vxorem duxit, Abraam in quiete, deliciisq; versatur, virgines cruciantur in geenna, sequitur enim, vt id ex vestra ratione suspicemur. sed non ita est, non, inquam, est ita. non enim solum non concedit virginitas, sed est etiam coniugio longe

præstantior. quonã id modo? quòd nec connubiũ eum, qui fuit, reddidit Abraã, nec omnino miseras illas perdidit castitas virginalis. At Patriarchã reliquę virtutes illustrarunt, istas vero sempiternis flammis cetera vitia tradiderunt. Ille enim etiã in coniugio dedit operam, vt exequeretur officia castitatis, honestatem videlicet, & assiduitatẽ; at istæ virginitatẽ deligentes, in hos vitæ fluctus, & connubij turbas inciderunt. Quid igitur prohibet, inquit, quo minus nũc etiam in coniugio, in liberis, in pecunia, in aliis deniq; omnibus honestas ista, & assiduitas seruari possit? Primũ quòd nemo hac ætate cum Abraam conferri potest, ne prope quidem ad eum accedere; etenim magis ille pecuniam, diuitiasq; contempsit, quàm qui inopiam profitetur. cumq; vxorem haberet, magis etiã,

quàm

quàm qui virginalem castitatem colũt, sibi in voluptatem temperauit. isti enim quotidie flagrant coniunctionis cupiditate, at ille libidinis ardorem vsqueadeo restinxit, vsqueadeo nulla cupiditate irretitus est, vt non modo se à concubina abstineret, sed vt inde causam omnem pugnę,& dissensionis extirparet,domo ipsam eiiceret. at nunc id reperire non facile est. Sed hisomissis,quod initio dixi, id repetam etiam in præsentia, non eundem à nobis, & ab illis virtutis modum requiri. neq; enim nunc quisquam perfectus esse potest, nisi vendiderit omnia, nisi omnibus renuntiauerit; neq; pecuniæ solum, aut domus, sed propriæ etiam vitæ curam abiecerit. at nullum tantæ perfectionis tum specimen fuit. Quid ergo est? perfectior ne, inquit, nostræ huius vitæ ratio est, quàm tum Pa-

LXXXIII. *Non eundem virtutis modũ nobis, & illis, qui veteri testamento vixerunt, esse propositum.*

triarchæ fuerit? deberet quidem, & ea lege sumus astricti; sed hac viuendi regula non vtimur. Quamobrem longe ab illo iusto viro absumus; licet & illud omnino perspicuum sit, maiora nobis certamina esse proposita. Itaq; quo loco diuina scriptura Noe admiratur, non simpliciter, sed cum appositione quadã
Gen. 6. id facit. Noe enim, inquit, vir iustus atque perfectus in generatione sua, Deo probatus est, non quòd omnino perfectus esset, sed vt illa ætate. multi enim perfectionis modi temporum varietate definiuntur; fitq; imperfectum procedente tempore, quod olim absolutum videbatur. exempli causa, dabatur olim perfectę laudi ex lege viuere; Qui enim
Leuit. 18. fecerit, inquit, hæc, viuet in eis. Verum quæ fuerant tum absoluta, Christus aduentu suo imperfecta esse docuit. Nisi enim,

enim, inquit, abundauerit iustitia vestra pluſquam ſcribarũ, & phariſeorum, non intrabitis in regnum cęlorum. nam tum ad pœnam cædes modo propoſita eſſe videbatur, nunc ira, ac ſolum conuiciũ tantam habet vim, vt homines geennæ cruciatibus poſsit addicere. in adulterium tum erat tantum animaduerſio conſtituta, nunc mulierem petulanter aſpicere ne impune quidem licet. tum ſcelus erat tantummodo peierare, nunc eſt vel iurare nefas. Quod his, inquit, abundantius eſt, â malo eſt. hanc ętas illa maximam laudem propoſitam habuit, vt ſui ſtudioſis in amore reſponderet: hoc tẽpore magnũ illud, & admirabile tantum abeſt â rei perfectione, vt id adepti nihilo plus, q̃ publicani, aſſequamur. ſed quamobrẽ tandẽ eorundẽ rectefactorũ nobis, & iis, q̃ veteri teſtamẽto viuebãt, Matth. 5. Matth 5.

eadem

LXXXIII. *Iure eorũdem rectefactorum nobis, & illis, qui veteri testamento vixerunt, non eandem mercedem esse propositam.*

eadem præmia constituta non sunt, sed maiori nos virtute nitamur, oportet, vt eandem, quam illi sunt assecuti, mercedem consequamur? quòd magna nunc effusa Spiritus sancti gratia, magnũ nobis Christi aduentu munus impertitum, ex infirmis perfectos reddidit. Vt igitur nos à liberis nostris, cum iam pubuerũt, multo maiores virtutis actiones requirimus; & quæ ab illis prima ætate rectefacta, prius laudabamus, eadem postea, cũ se ætas corroborarit, ab eisdem perfecta non ita admiramur, sed longe maiora iubemus efficere: sic & Deus primis illis temporibus tanquam ab infirmiorum hominum natura haud magna facinora requisiuit: vt vero illi Prophetas, & Apostolos audiuerunt, ac Spiritus sancti gratiam sunt assecuti, iure ipsis maiorem constituit rationem rectefactorum.

ctorũ. nam & maior nunc merces proposita est, & splendidiora multo certaminis præmia constituta sunt. non enim iam terra, aut terrena, sed cælum, & quę mente non consequimur, recte facientibus bona proponuntur. Quid? nonne absurdum sit, cum simus ætate confirmata, in illa nos exiguitate continere? tum enim inter se hominum natura dissentiebat, belloque perpetuo premebatur, quod Paulus illis verbis declarauit, Video aliam legem in mẽbris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, quæ est in membris meis. at nunc non ita est. quod enim impossibile erat legi, in quo infirmabatur lex per carnem, Deus mittens filium suum in similitudinem carnis peccati, & de peccato peccatum condemnauit in carne. Quamobrem Paulus illa *Rom. 7.*

est vsus actione gratiarum. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? gratia Deo per Iesum Christum. Propterea iure plectimur, quòd expediti cursum impeditorum assequi nolumus; quanquam vel si in eo pares illis esse possimus, ne sic quidem liberi simus à pœna. nã qui summa pace perfruuntur, eos multo maiora, & illustriora trophæa statuere oportet, quàm qui grauius bello premũtur. Quòd si in pecuniæ, deliciarum, vxorum, negotiorum deniq; cura, & cogitatione versari volumus, quando erimus viri? quando spiritu viuemus? quando, quæ Domini sunt, nobis curæ fuerint? an cum hinc migrauerimus? at non erit præterea laborum, aut certaminum, sed præmiorum, & pœnarum dies. Tum ne virgini quidem, quæ in lampadibus oleum non habuerit,

habuerit, id ab aliis sumere licebit, sed excludetur. Quòd si quis sordidum vestitum indutus affuerit, ad permutãdam vestem exire non poterit, sed ad ignem geennæ trahetur. Quòd si ipsum etiam inuocauerit Abraam, nihil id ei fuerit adiumento; vbi enim aduenerit præfinitus iudicio dies, proque tribunali iam sederit iudex, & flumen igne fluxerit, deq; nostra vita, & moribus quæsitum fuerit, non præterea permissum erit exuere vitia, sed velimus, nolimus ad supplicium propter illa ipsa peccata nobis debitum, trahemur; quo tempore nemo nos Deo reconciliare poterit, ne si quidem par libertate sit magnis illis, & admirabilibus viris, etiam si Noe, si Iob, si Daniel, etiam si pro liberis deprecetur, nihilo tamen plus proficiat. tantũ necessario supereſt, vt sontes perpetuo

torqueantur, quemadmodum qui recte fecerint, sempiternis bonis perfruantur. tam enim his, quàm illis finem nullum Christus fore declarauit. vt enim vitam, sic pœnam sempiternam futuram dixit: nam aliis tum à dextera constitutis, àliis à leua condemnatis, Ibunt, inquit, isti ad pœnam æternam, iusti vero ad vitam æternam. Quamobrem in iis omnibus hic agere, & laborare oportet, & qui vxorem habet, sic viuere, vt si non habeat; & ita ad virginitatis cultum reliquas omnes virtutes adhibere; ne, cum ex hac vita migrauerimus, frustra lacrymas effundamus.

FINIS.